

60 P. Bd.

V₉

+

//.

ΠΑΡΑΜΥΘΙΑ

A D

*Clarissimum Virum, erudite doctrinae & Virtutum
laude praestantissimum,*

**D N. M. C H R I
S T O P H O R V M C A E S A
R E M, S C H O L A E H A L E N S I S R E
ctorem, Dn. Collegam suum of-
ficiosè colendum,**

*Lugentem graviter prematurum obitum
Filij sui optatis. & carissimi maioris natu, τὸ ὀμωνέμω.*

**I V V E N I S I N G E N I O, V I R T V T E
& eruditione excellentis, liberal. art: & phi-
losophiæ Magistri, ac S. L. L. Studiosi.**

*ANNO χριστογενίας M. D. XCVIII, die III. Mensis Octobris
circa XI meridianam piè placidè ac cupidè in CHRISTO defuncti,*

*Cum vixisset in his terris Annos XIX, Menses V,
Dies XXI. Horas XII.*

**C O N T I N E N S P R A E C I P V O S F O N T E S C O N
solationum, quibus pij homines hoc potissimum periculo-
so & calamitoso tempore, vel aliàs in obitu suo
orum uti, ac se sustentare possunt.**

Solutâ & ligatâ oratione

S C R I P T A

à

M. Nicolao Gerlach Hal. Scholæ patriæ Collegâ.

Typis Pauli Cialeri,



CYPRIANVS, QVI VIXIT CIRCA ANNUM CHRISTI CCXLIX in epistolâ seu sermone de Mortalitate.

Non sunt lugendi accersione Dominicâ ex hoc seculo liberati: cum sciamus, non eos amitti sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes & nauigantes solent, desiderari eos debere, non plangi.

Et paulò post:

Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus: Parentes nostros Patriarchas habere iam cepimus: Quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre & parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum: frequens nos & copiosa turba desiderat. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune letitia est? Qualis illic celestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum eternitate vivendi? Quam summa & perpetua felicitas?

CLA-



CLARISSIMO VIRO
DN. RECTORI DN. M. CHRIS-
TOPHORO CAESARI, in summo
luctu ac mœrore iacenti, Orationem hanc
παρηγορητικὴν mittens

Salutem simul & consolationem firmam atque efficacem Spi-
ritus Sancti præsentiam precatur.



Vantoperè clarissime & doctissime Vir. Dn. Re-
ctor, amice & collega summo observantiæ studio
perpetuò colende, me alioquin in mœrore versan-
tem, inopinatus ac præmaturus obitus filij tui ca-
rissimi at beatiss. M. Christophori, perturbârit
atque contristârit, equidem mihi sum testis, & facile ex sermo-
ne & vultu meo, indicibus animi, tum temporis coniecturam
facere ipse potuisti. Nam & tuâ causâ dolui, quòd spoliatus
fueris filio, tam subito mortis casu abrepto in ipso ætatis flore
& pleno studiorum ac honorum cursu, non solum paterni no-
minis, sed & Virtutis doctrinæque imagine, senectutis vestræ
dulci levamine ac reuerà baculo & fulcro, qui Tibi, Tuisque,
& totî familiæ præsidio, solatio, honori & ornamento esse
quàm diutissimè potuisset: Vnde præproperam eius ac inspe-
ratam mortem vestris cordibus grande & acerbum vulnus in-
fixisse, facile credo: Istius ægritudinis me socium atque par-
ticipem esse pro necessitudine nostrâ, animoque, quo erga Te,
Tuosque affectus sum, velim existimes. Meum etiam dolorem
auxit perspecta abineunte pueritiâ, mirifica Filij tui indoles &
naturæ bonitas ad omnem Virtutem propensa & ad summa ve-
luti nata, atque egregij in liberalibus artibus, necessarijs lin-
guis, amplissimoque Vtr. Iuris studio progressus & profe-
ctus: Vnde permulti in magnam spem mecum fuerunt ingressi

A 2 atque

atque adducti, fore, v
 rumque suorum πῶν ἔν ἄγιστο, tum Dn. parentis, tum tangu
 iunctorum, in viuis ad huc, vestigijs insistens atque studiorū
 cursum feliciter conficiens, breui vel Rempubl. hanc nostram,
 si Deo Clementissimo ita visum fuisset, vel aliā, consilio & pru
 dētiā suā insigniter cohonestaret, & opera vehemē eradiuaret.
 Spem igitur istam ablatam & ereptam nunc esse, agrē & dolent
 ter fero, patriæque vicem doleo, ac Reipubl. tempora simul
 lugeo, quam paucis retrō annis in vicinia atque etiam diebus
 abhinc in nostro oppido, fortuna minus amica nobis, & præ
 clarissimæ indolis adolescentibus, qui summam sui expectatio
 nem concitarant & celeberrimis viris per omnes status atq;
 ordines, & simul Filio tuo, ingenio, Virtute atque eruditione
 supra ætatem eccellente, orbavit: à quibus omnibus tanquam
 salutaribus organjs Ecclesia IESV CHRISTI, gubernar
 tio politica & communis generis humani societas magnum
 fructum repetisset. Cum enim salute publica nihil nobis prius
 neque antiquius sit vel esse debeat, eò grauius profectò etiam
 animis angamur necesse est: quò plures bonos & peritos mor
 tem obire audimus, qui ingentia emolumenta & incrementa, si
 Deus præpotens ijs longiorem huius lucis vsuram dedisset, pa
 triæ vel Reipub. Christianæ potuissent afferre. Verum enim
 verò cum eiusmodi casus fatales immutari nequeant, oportet
 nos medicinam reperire huic incommodo vel iacturæ, & eadem
 luctum priuatum ac dolorem communem inde perceptum de
 pellere aut leuare. Cum autem iuxta tritum Proverbium, ani
 mo laboranti vel malè affecto beneuolus sermo vel maximè sit
 medicus, si nimirum quispiam Comedicamentis non solum ex
 penu τῆσ φιλοσοφίας sed potissimum τῆσ θεοσοφίας de promptis de
 libutum probè molliat ac muniat, ne ratio affectibus succum
 bat vel immodicè indulgeat, aliter facere, nec potui nec debui,
 quin hoc periculoso luis pestilentis in patria etiam admodum
 grassantis tempore, quo vniuersi & singuli, veluti milites in a
 cie stantes, cogimur esse parati ad extremum vitæ spiritum e
 dendum, imò singulis horarum ferè momentis tristissimam mor
 tis imaginem oculis nostris obuersantem animadvertimus, cog
 itationibus accuratius & frequentius susceptis, de naturæ
 nostræ

ὁ λόγος
 ἰατρὸς τῆσ
 κατὰ
 ψυχὴν
 πᾶσδε.



... & magnitudine, omniumque mortalitate, & diligenti præparatione ad fatalem horam excipiendam, & consolationibus, quibus hic uti & nos sustentare possemus, aliquid commentarer & conscriberem; & pectus remedijs efficacibus, ex sacrarum & profanarum literarum ac historiarum monumentis, quaesitis & comparatis, velut Antidotjs aduersus subitos casus æquo & patienti animo ferendos, adeo que mortem ipsam minimè pertimescendam vel tantoperè deplorandam, præservatum haberem atque confortatum: Cum alioquin vita nostra debeat esse meditatio mortis seu commentatio, secundum Platonem, ut eruditè declarat Cicero libro 1 Tusc. quaest.: vel potius secundum Christianos beatæ mortis meditatio & inchoatio vitæ æternæ. Illius consolatoriae scriptiois Clarissime Vir Dn. Rector, te in summo luctu & squalore iacentem, ob obitum carissimi tui Filij, beatæ recordationis, participem facere volo, non quod hisce quasi medicaminibus profundum tuum vulnus curare vel sanare velim, ut nunquam recrudescat: nec quod ea te fugere existimem, cum sciam Te esse virum omniliberali doctrina politicissimum, & in scriptis tum sacris tum profanis studiosè multumque volutatum, & in schola crucis benè versatum, quem & longo rerum usu ad varios atque etiam ad eiusmodi casus pie quidem occalluisse necesse est: Verum ut memor ipse humani & necessarii officij vel scripto saltem tibi luctuosissimo Viro præsto sim, atque hoc dem memoriæ filij tui τὸ μακροπρὸς celebrādæ vnaq; cum cæteris amicis testatum faciã me affici sensu calamitatis tum priuatæ tuæ: (quamvis longius à summi luctus acerbitate meus absit mæror, quàm tuus propter sorγὰς istas φρονησ, & quia subindè multa occurrant, quorum tristis aspectus Tibi εὐσοργωτέτω denuò præbeat causam lugendi] & publicæ simul, atque illa tecum recognoscendo ac percurrendo insinuantem sese animo vtriusque dolorem, tuo autem vel maximè infixum adhuc hærentem, iisdem depellam aut saltem consolet.

Cum primis autem notissimum est: Nec vitam, ut alia omitam, vlli hominum fortuito esse datam, sed certo & mirando Dei consilio, nec finem eius, hoc est, mortem, nobis casu aut ante horam imminere, sed determinato diuinitus tempore, ita ut

nemo negare possit, vitam no-
 Dei munus datum hominibus,
 ctissimè, & certis spaciis ex Dei præpotentis ac misericordis,
 moderatoris omnium rerum consilio, voluntate atque præ-
 scripto definitum. Atque ita rem sese habere, disertè affirmat
 Acto. 17. gentium Doctor D. Paulus inquit: Ipse [Deus] dat omnibus
 vitam & inspirationem, & omnia: fecitque ex vno omne ge-
 nus hominum inhabitare super vniuersam terræ faciem: de-
 finiens statuta tempora & terminos habitationis eorum. Sapi-
 entes etiam ethnici in eadem sententia fuerunt, agnoscetes
 vitam esse debitum naturæ & depositum Deorum. Quod ne
 Heraclitum quidem latuit, vbi inquit: Nostrum vivere esse fa-
 tale quoddam debitum, restituendum ei à quo accepimus. Et
 Euripides sic in Oreste scribit: τέλος ἔχει δαίμων βροτοῖσι, τέλος,
 ὅσα δέλει. Quod si nunc omnium hominum vitæ origo ac finis
 à solius Dei pendet voluntate immota, vt & Ethnici statue-
 runt, & nos Christiani non scimus solum sed & quotidie pro-
 finem in- fitemur, quid est igitur, quod ita conqueramur, nobis vel no-
 quam quã- stris vitam eripi? falso putantes, vitam esse nostri mancipii leu-
 do voluerit. iuris, ac immemores illius apud Lucretium: Vitaque mancipio
 nulli datur, omnibus vsu: vel cur tantoperè dolemus & luge-
 mus, si nobis vel nostris fuerit moriendum, ac si ingentem fe-
 cerimus iacturam? Damnum faciunt ii, qui sua amittunt, non a-
 liena. Non sunt igitur nostri, parentes, non liberi, non san-
 guine vel amicitia nobis iuncti, non vita, sed DEI, qui bona
 cadat ad tempus & repetit ex suo decreto æternæ menti fixo,
 non ex nostra voluntate & sapientia, quæ fallax est & imbe-
 cilla. Ipse enim solus vitæ dator & conservator, imò ipse vi-
 ta nostra nouit, quamdiu nobis expediat viuere, quando expe-
 diat mori.

Finem da-
 bit Deus
 mortalibus
 finem in-
 quam quã-
 do voluerit.

Quanquam autem huius diuini consilii causas perferu-
 tari non possumus: tamen quacunque die vel hora, summo
 Imperatori visum fuerit, huic evocanti alios citius, alios tar-
 dius ex huius vitæ statione, est parendum, nec iussui vel arbi-
 trio illius reclamandum. Quod cum alijs convenit, atque in-
 cumbit, tum ijs potissimum, qui Christi Salvatoris nomen pro-
 fitentur, & ad illius nutum atque imperium, à quo non solum
 vitæ

vitæ ortum agnoscunt, verum & salutem sempiternam acci-
 piunt, sua cogitata dicta & facta dirigere, atque eius consilio
 & voluntati minimè repugnare volunt. Propterea de Moyse
 scriptum extat Deut. 34. Mortuus est Moses servus Domini
 iuxta os Domini. Quis etiam consilium Dei infirmare poterit?
 Deut. 28. Leuit. 26. & consilium meum, inquit Dominius, ra-
 tum est, & omnis voluntas mea fiet, Esaia 46. Atque de Davi-
 de Actorum 13. legitur David consilio Domini dormivit.
 Quis voluntati eius resistet? Iobi 9. Psalm 76. An non etiam
 quotidie precamur? Fiat voluntas Domini. Quæ si facta fue-
 rit, cur ægrè molestèque ferimus? Quæ cum ita sint Clariss.
 Vir Dn. Rector, quid est, quod tantoperè te commoveat tuus
 dolor intestinus? Cur eiusmodi querulis vocibus continenter
 vteris? Meus (eheu) filius optimus & charissimus priuatus
 est vita in spe magnorum honorum consequendorum & in
 ipso flore ætatis. Vnde quæso habuisti Filium? Non arbitror,
 te negare, sobolem esse Dei donum, quod multa scriptura lo-
 ca comprobant, & profanus ille Euripides id agnoscit, in-
 quiens: *Δεός δὲν τέτυκα δούλοισ.* Non solum autem dat liberos au-
 ctor vitæ & moderator omnium rerum, sed eosdem datos, cum
 libitum ac visum fuerit, ex suo consilio atque decreto, iterum
 avocat, vt non minus ab illo sit orbitas quam fecunditas. Nec
 huius rei mihi locupletior testis est adhibendus, quam Noemi
 Ruthæ socrus, & Iobus filiorum orbitatem à Deo docens pa-
 rentibus immitti, nunciata morte liberorum, Dominus, in-
 quit, dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum
 est. Quod si nunc & tibi filius à Deo datus fuit, idcirco præ-
 potenti Deo, reposcenti eundem vt suum, quando voluerit, lu-
 bens reddas, atque in ipsius consilio & voluntate cum pio ob-
 sequio acquiescas, ne nimio lætæ eidem at frustra refragari
 videaris. Quinetiam maestissime parens hoc ratione animoque
 probè lustres, summum Parentem in celis plus iuris habuisse
 in tuum Filium, quam te patrem in terris, vt qui non solum ti-
 bi dederit natum, hoc est, creavit, non quidem ad hanc tem-
 poralem tantummodò, sed potius ad illam æternam vitam, ve-
 rum etiam per meritum Filij sui redemerit, ac Spiritus Sancti
 Virtute & efficacia regeneravit. Denique plane tibi persua-
 sum

*A Djs dantur
 liberi
 mortalibus*

sum habeas: Patrem celestem longe melius ac rectius prospexisse tuo nato, quam Tu parens terrestris potuisses unquam, atque te omni cura, sollicitudine, & labore, eius causa diutius sustinendo ita voluisse liberatum. At inquires: Magnis & multis molestijs, defatigationibus, sudoribus, vigilijs, sumptibus, diligentia ac studio huc usque à nobis fuit educatus & sustentatus, ergò vana, inania & irrita omnia? Sciatis vos esse functos officio piorum parentum debito, atque ea omnia minime fuisse infructuosa, verum cessisse in utilitatem & salutem filij, eiusque laudem ac vestram, eundemque pro fidelissima institutione, educatione, alijsque beneficijs, paulò ante extremum vitæ agonem, non solum gratias egisse vobis ingentes (cum tu, pater, astans morituro mentionem usurpatæ à te ad illum liberalis institutionis inferres, quam ex animo profectam fidei haud dubie animo optimo, Filius optimus acceperit) Verum etiam constanti grauique voce professum esse, sese isto nomine in altera vita, coram tribunali Christi, habiturum immortales cum singulari vestrum vtriusque piorum parentum, laude, gloria & honore ad omnes electos, Deumque copiose cumulateque relaturum.

Quereres etiam iniuria, quod mors sustulerit filium probum & morigerum, & ad omnes voluntatis tuæ nutus, & præscriptum se componentem. Quin potius tibi gaudeas, quod optatissimum habueris, ac Domino invicem gratias agatis, quod ab eo tantum bonum acceperitis, quodque eundem pium & innocentem Deo repetenti reddideritis, cum nulla mors sit magis optanda, quam innocens & beata, nec eam capientes, a deo deplorandi: Isidorus scriptum reliquit: Illi sunt deplorandi in morte, quos miseros infernus ex hac vita recepit, non quos celestis aula lætificando includit. Scriptura (Apoc. 14.) beatos vocat eos, qui in Domino moriuntur à modò, & requiescere hos dicit à laboribus suis. Quod de Filio tuo vere pronunciari posse, illa indicia præsentis huius Domini evidentissima, minimeque fallentia efficaciter & sensibilibus pectori indolis noua vitæ futuræ gaudia vt cor in hoc Vno vnice conquiesceret, manifeste indicant. Nemo autem quempiam in summa felicitate, sed miseranda sorte constitutum deplorandum

cum vnquam esse censuit: vt magis te etiam deceat affectum illum maximo doloris, quem tecum animo circumfers, moderari. Quin quod Filius vester præmium hoc tulerit insignis & perpetuæ suæ pietatis erga Deum ac parentes, nec non in amicos, non quidem mortem temporalem solam ceu diuinum munus, vt multi ex Ethnicis statuerunt, atque id ipsum exemplo Cleobis & Bithonis fratrum, item Agamedis ac Trophonij comprobarunt, sed potius vitam illam immortalem & gloriosam.

Caritas paterna propè singularis & illustris, forsitan vincit animum, quò minus tibi possis à lacrymis & querimoniis temperare. Credo sanè & scio, Parentibus esse inditas σοφίας, quibus velut φίλτρον Deus colligat inter se parentes & liberos, vt verè Nazianzenus inquit. Sed quæso hoc etiam cum animo voluas, summo Patri fuisse magis carum: atque ad id probandum maximo argumento erit ista σοφία quæ in præstantioribus naturis solet esse flagrantior. Quod si autem Deus tanto amore persecutus est nos miseros peccatores, vt suum vni genitum atque vnice carum filium non solum hominem fieri, sed & innocentem pati ac mori voluerit pro nobis, quo per hunc viueremus: minimè dolendum erit aut conquerendum ita Patri, cuius filius morti obnoxius è vitâ hac celsit. An non credis Patrem etiam celestem longè ardentio rem amorem habere erga eos, qui hunc Filium Dei verè amplectuntur, amant & colunt, meritumque eius sibi per fidem applicant? An non vicissim reconciliatos sibi redamabit, atque eò citius immittet in vltimum plenarium possessionis ac beatitudinis celestis, quæ in Deo expectanda, & per eum nobis ad eunda est, vt sint ac maneant hæredes vitæ aternæ, eum diligentibus paratæ.

Te tamen tristi & acerbo vulnere, quo nullum aliud per totam vitam tuam in his terris infligi tibi vel tristius vel acerbius potuerit percussum esse, inquires. Cogitabis doctissimo Vir hoc à diuina manu impactum esse, & quidem non odio tui, sed paternæ σοφίας etiam erga te esse magnum signum imò te esse ex numero dilectorum in dilecto. Quos enim diligit Deus hos castigat. Diligentibus autem eum, omnia simul adiumento sunt in bonum, qui vult ita vel maximè nos similes

B fieri

fieri imagini Filij Dei. Obligandum igitur & sanandum illud quoque erit invocatione remedii & auxilii divini, humiliati-
one sub potenti ac salutifera manu Dei, patientia ad breue
tempus in afflictione, & spe futuri conuentus ac gaudii in al-
tera vita.

An verò Clarissime Vir Dn. Rector Filij tui vicem tanto-
perè doles idcirco, quòd hac vita orbatu fuerit? Paululum
quæso excurrentes in latissimum campum dispiciamus quæ-
nam vel qualis sit vita humana, quam ita amplexamur, & in
qua nos & nostros quàm longissimum tempus manere ac
commorari expetimus. Profectò si quis in huius vitæ terre-
stris cursum, cogitationem ac mentem acriter intenderit, fa-
teri necesse habebit, nihil eâ calamitosius esse. Quis autem o-
ratione consequi aut enumerare potest miseriam tum inter-
nam tum externam humanæ vitæ, quæ à primo statim ortus
nostri tempore vsque ad exitum seu mortem durat: quod Sira-
cides ita describendo eandem attestatur: Admodum ærumno-
sa & misera est vita hominum inde ab utero matris, donec
sepeliantur in terra, quæ est omnium mater: Ibi perpetua est
solicitudo, cura, spes, metus, tandem mors, cum apud floren-
tes honoribus, tum etiam apud vilissimos homines super ter-
ram. Quod & psalmus 90. innuit, nostram vitam nil nisi
dolorem & laborem esse. A quo non dissentit illud Latini
poetæ:

Principium vitæ dolor est, dolor exitus ingens,
Et medium labor est, Vivere quis cupiat?

Et non immeritò quis iam dubitare potest: vtrum vivere
an mori melius sit? Immo verissimum est, quod Herodotus in
Polihmnia ait: In hoc tam breui & exiguo vitæ curriculo
multa singulis hominibus accidunt, ut sapius mori magis, quàm
vivere cupiant. Quid etiam diu vivere aliud est nisi diu
torqueri, & addere dies malos malis, secundum Augustinum?
Vnde antiqui poetæ eos, qui diutius vixerunt in terris nomi-
narunt *μοχθηδὲς καὶ δολῆς*. Et Homerus sapenumero ait:
Ἰδὲν ἀκιδνὸν πέρον γαίαν τρέφει ἀνδρῶ ποιο πᾶν ἴου. Ac sapientiss. ille
græcorum apud Herodotum concludit *πάντες ἄνθρωποι
συμφορὰ*. Atque ita hominum tum in Ecclesia Dei, tum extra
illam

Cap. 40.

Lib. 7.

Nil mise-
rius homi-
ne alit ter-
ra inter
omnia.

illam grauissimæ querelæ fuerunt in deploratione humanæ
 naturæ ac vitæ, imò multitudinem & magnitudinem istarum
 aduersitatum verbis comprehendere non posse sunt confessi.
 Sed miseri Ethnici ignari celestis scripturæ non ulterius pro-
 gredi potuerunt, quam humanæ rationis lux permisit, & fon- Rom. 6.
 tem seu primam causam omnium malorum ac denique mortis, τὸ πρῶτον
 videlicet lapsum primorum parentum, & ita consequenter ὁ φάσμα
 peccatum, quod comitata fuit mors ceu pœna, afferre non po- τῆς ἀμαρ-
τίας δό-
ματος,
 tuerunt, propterea sine solatio firmo deplorarunt, imò sæpe
 ex impatientiâ animi & desperatione in voces detestabiles & κατὰ τὸν
 actum eruperunt, nec vllum remedium adhibere noverunt, ἐκφρα-
σμα
 quod solis illis, qui in Christum credunt, est datum. τῶν ἁμαρ-
τιῶν

Huiusmodi igitur existente vitâ hominum, cuiusmodi hi τῶν ἁμαρ-
τιῶν
 afferunt, an non felices eos ducere conuenit, qui ex illa & qui ἐκφρα-
σμα
 dem maturè migrarunt. Verum vt propius accedamus. Ipsa
 experientia rerum magistra, humanam vitam varijs ærumpna-
 rum fluctibus iactari, convincit, malisque esse refertam, quo-
 tidianis exemplis communit. Neque est quòd longè abeamus.
 Quam miserandus est hoc tempore status in nostris regioni-
 bus? quam tristissima omnium rerum facies? quot & quanta
 pericula & mala nobis vndique impendent? Quid igitur est,
 Optime Cæsar, quod nostrorum piè defunctorum vicem ma-
 gnoperè doleamus? quoties in eam cogitationem necesse est &
 tu veneris, & nos sæpè incidamus, hisce temporibus non pes-
 sine cum ijs esse æctum, quibus sine dolore licitum est morta-
 lem hanc vitam cum immortalis commutare: quibusque quasi
 fuga ceruicibus nostris impendentes calamitates præsentis &
 futuras antevertere atque declinare contingit. Nolo iam lo-
 qui de priuatis cuiusque malis, laboribus, injurijs, molestijs,
 curis, quibus vniuersi & singuli ferè quotidie afficimur, pu-
 blicæ plagæ etiam satis notæ sunt. Vt nihil dicam de carita-
 te annonæ diuturnâ: An non lues epidemia totam Germani-
 am fere per vagata est, ac tam in locis vicinis & circumiacen-
 tibus quàm in nostrâ vrbis hoc anno grassans immaniter sæ-
 vijt, ac satis nos quoque afflixit? vnde passim strata iacent
 tot mortuorum cadauera. Sed imputandum hoc nobis ipsis,
 qui à Deo ob manifesta delicta & scelera offenso & irato me-

ritò coercemur, quique tarditatem supplicij grauitate com-
pensat. Atque utinam liceret modo sic abire, ne in grauior-
es Dei poenas incurreremus, vel potius in manus hostium
incideremus. Instat enim, ut poetæ verbis utar, graue Martis
opus, de quo iam fama dissipatur in regionibus, non procul
abhinc disitis, qui belli timor vsque adeo plurimos occupat
ut nemo sit, qui non maximum periculum atque exitium non
solum à Turcarum immanitate, sed & à Pontificiorum seu
Hispanorum incurfibus & tyrannide, nostræ etiam diuini me-
tuendum censeat, nisi Deus Clementissimus emendatione vi-
tæ nostræ & precibus piorum deuotis flexus, & maturo con-
silio ac subsidio, nos periculo instanti & poena satis merita li-
beret. Nonne igitur mori satius erit, quam in tantas tempo-
rum difficultates incidere, vel tristia ista, terribilia & aduersa
si non ferre, saltem videre siue audire? An non optime cum
iis actum est, qui his & alijs omnibus futuris malis præcepti,
adeptique securitatem iam quiescunt? Ipsorumne mors tan-
topere deploranda? Nostras miseras & peccata, & infeli-
citem vitæ nostræ plura mala quotidie videntis ac sustinen-
tis & perpetrantis, deplem: iis verò qui bene viuendi
cursu suo confecto ad metam peruenerunt, toto pectore gra-
tulemur. An non potius exoptandum nobis erit cum The-
andro D. Luthero: Sic nos moriamur in pace, ante quam ca-
lamitas veniat in Germaniam, quam quod exclamandum sit
aliquando, qui adhuc superstites sumus: O miseriam tempo-
rum nostrorum, in quæ nos fortuna reseruasti. In contem-
platione miserimæ faciei horum temporum ante oculos tibi
statuas Clariss. Vir, exempla præsentia & spectes etiam vici-
norum & cum illis communia nobis adhuc mala, qui eisdem
casus vel similem fortunam sunt experti. Non enim Deus im-
mortalis tuæ solummodo domui funestam plagam inflixit, ve-
rum & finitimis regionibus atque urbibus, in quibus biennio
abhinc infiniti fere homines, ac simul omnium ordinum, eta-
tum, ac dignitatum præstantissimi peste & improvisa morte
fuerunt sublati, & in hoc etiam oppido, nondum semestri
contagionis serpente elapso ingens numerus abreptorum est
vltia viventium memoriam, vnde spes celebris posteritatis ad-
modum

modum fuit præcisa. Quot igitur parentes, quot liberi, quot
coniuges, quot amici orbati suis ac sibi caris? Hinc non solum
meror & perturbatio multorum, verum etiam orbitas & va-
stitas magna subsequuta est: ut merito lugere non tam ipsorum
caussa, qui placidè evocati sunt, de quibus scriptum est: Bea-
ti, qui in Domino moriuntur: quam communis hominum so-
cietatis ac patriæ fortunam adversam dolenter ferre debea-
mus, quæ indies orbatum tum adolescentibus, in quibus ma-
gna spes veræ pietatis præclaræ indolis & futuræ Virtutis at-
que industriæ eluxit, atque se se exeruit, tum præcellentibus
ac bonis viris, Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ utilibus, sic
ut numerus recidat ad paucos, ac propterea id ipsum tantò a-
cerbius nobis accidat: at tamen ita contristemur, ut Deo præ-
potenti liberam de vnoquoque potestatem statuendi permit-
tamus, atque vota simul & preces pro conservatione & pro-
tectione statuum nostræ ditionis atque civitatis, & eorum, qui
adhuc superstites sunt, ad eundem fundamus, ut misericordiæ
sue recordetur in ira sæviente, commune illud malum satis
quidem commertum, ut lenire cepit, tandem clementer sa-
net, graviusque adhuc imminens depellat, ne hominibus ad
gubernandum idoneis destituta patria nostra maius aliquando
detrimentum capiat, & coetum iterum colligat, qui aliquando
ipsi Deo & hominibus salutari sua opera interuire & prodesse
possit. Atqui ut de alijs summis doctissimis & prudentissimis
Viris & optimæ spei adolescentibus, qui Ecclesiæ, Reip. atque
Salinis nostris magno vsui & ornamento fuerunt, & imposte-
rum esse potuissent, nisi Deus illos singulari consilio & vo-
luntate ex tempestatibus huius miseræ vitæ in portum quietis
& salutis detulisset nihil verborum faciam, cum ipsorum me-
rita & encomia breuiter pro dignitate commemorando per-
censere non queam, amissimus vel potius præmissimus præter
omnem spem atque opinionem vna septimana intra qua-
riduum ferè Collegam Iudæi nostri apprimè industriam,
atque Virtutis & doctrinæ laude cumulatum, M.
LEONHARDVM MARTINI, qui ex hac
tenui:

Apo. 14.

tenui & tristiam Schola laboribus plena, in pia & vera confessione ac fide saluifica, atque ardenti invocatione sui Salvatoris ac Redemptoris Iesu Christi, mente integra & sensibus constantibus. Ad extremum usque spiritum, auocatus fuit in supremam scholam, sapientia & luce diuina refertam, omnium molestiarum vacuum postridie Michaelis, Magni principis ac Ducis Filij Dei antelucano tempore, cui etiam nunc carmen illud, quod prius, quam decumberet, constituerat illo die festo conscribere in laudem ac honorem Dei (vt qui eum protectione & ministerio sanctorum Angelorum per aliquod contagiosi morbi admodum laui entis spacium incolumem conseruasset,) canet dulce & laetum, cum etiam tunc fideles illi Ministri, vnicè gaudentes aeterna hominum salute, animam eius beatam in sinum Abrahæ deportarint. Mox subsequutus est ex nostro ordine discipulus sane morigerus ac pius, qui fundamenta fidelissima in patria schola iecerat necessariorum artium & linguarum Avvesserus, qui iam iam hinc V Vitebergam profecturus placidè in Christo obdormiens, vere colophonem hic addidit studijs suis, ac migravit in celestem Academiam quibus vt & alijs pijs se comitem adiunxit & Filius Tuus. Noli igitur praestans Vir in eadem naui ac discrimine cum alijs versans uel communem fortunam auersari, vel privatam calamitatem praepone publicæ, vel præcipuam aliquam postulare.

Quid autem Ornatissime Vir fuit, quod Filium tuum ad diuturniorem huius lucis vsuram expetendam magnoperè invitare atque impellere posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? An ut perigrina loca adiret, & præcipue Italiam (vt Filius tuus, te patre constituente si Deo ita visum fuisset, sibi constitutum habuit: ad quam rem neque occasio optima, neque adminicula alia, necessariò requisita, deesse poterant) peragraret, annum Iubilæum, quem Bonifacium Octauum centesimo quoque anno celebrandum indixisse ferunt, sed Clementem abbreviando in posterum quinquagesimo anno, spectaret breui, vt ad superiores honorum & dignitatum gradus ascenderet, & Caesaris nomen ad posteros transferret? Cogita quæso, Solertissime Vir, pro tua prudentia & conditione di-

ligen-

ligentius, quæ vitæ nostræ sic ratio? Quid horum omnium est, quod non cum summis difficultatibus sit coniunctum? Quid cum delicijs huius mundi, ac cum pontificum pompis, luxu, prodigalitate, festis, ludis & ineptijs, quibus se ostentant, & miseræ plebi fucum faciunt, atque novis istis & commentitijs ritibus ac superstitionibus simplices homines à sacro verbo & vero Dei cultu abducunt? Quid cum fugaci honore, de quo Psalmus: Homo in honore non durat. Et certè hoc seculo planè in nullo non loco honor evanescit, quod & versus monet notus: Transit honor, transit fortuna, pecunia transit &c. Antequàm etiam ijs potiamur honoribus, quibus curis conficimur? quot pericula subeunda? quot consumendi labores? quot suscipiendæ molestiæ? quam varia possunt intervenire? Vbi datur potiri, quibus morbis, ærumnis, ac malis expositis; dum eos petimus, cupiditate & spe miseri, dum fuugimur ijs miseri metu: & quamvis sequatur laus, tamen magno precio emta. Quin quod ipse Filius tuus ut doctrinæ & eruditionis, ita satis gloriæ & honorum pro ratione ætatis fuerit consecutus, ac Magistrali florens dignitate laudabilem nominis sui memoriam ad posteritatem transmiserit. Omnia sanè in vita hæc sunt lubrica, momentanea, perpetua afflictionum & ærumnarum mole oppressa, γλυκὺ πικρὰ, in quibus risus dolore miscetur & extrema gaudij lætus occupat, ut Salomon inquit: denique vana. Nulla certe in terris felicitas tanta, nulla iucunditas, nulli honores, nullæ voluptates, nulla alia, quæ ita nobis amabilem hanc lucis vsuram efficere possunt, si modo quis hæc invicem collata, trutina & æqua lance examinare, ac rectè ponderare velit quin multò plura sint mala, quapropter ducant sibi homines mortem expetendam. Nullum denique est gaudium tantum, cui non intercesserit ægritudo aliqua. Immo quicquid hinc est vel voluptatis, vel lætitiæ, secum trahit dolorem & mœrorem, nisi quod multos tetra voluptas ad tempus hic exhilaret, in æternum excruciet. Atqui hæc quasi summam collecta Salomon Ecclesiastes expressit, inquiens: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Ad hæc luctum paternum minimè augere debet, quod in vigore ætatis constitutus, immatura morte abreptus Filius Te
Pater

Parentem præpostero quasi naturæ ordine præcesserit, atque ad summam senectutem vsque minus vixerit. Quin & ipse iam iam exhalaturus animam, cum à Te, parente maximo, interrogaretur, nunquid mortem, appropinquantem iam, formidaret etiam? animo immoto & intrepido testatus est, se, quantumuis annis adhuc florentibus, iam satis diu vixisse, si videretur Deo, ipsum ex mortali hac vita nunc euocare: nec se vel minima in parte mortem, prope iam astantem (cuius Dominum & victorem esse CHRISTVM VITAM, firma cordis fiducia statueret) exhorrescere, sed & verè exoptare, & cupide expectare, quæ sibi non videretur immatura aut præmatura, verum decurso iam vitæ spacio, sibi in his terris præfinito & determinato, maxime matura: quando & hunc versum magna vocis contentione, distinctis, singulis verbis clare pronunciauit: Vixi & quem dederas cursum mihi, CHRISTE, peregi: Mox subdens,

Vixi dum volui, volui dum CHRISTE volebas.

Cap. 14.

Nec mihi vita breuis, nec mihi longa fuit. Antehac etiam dictum est: Deum pro singulari sua sapientia & voluntate vnicuique mortalium iustum Vitæ exigendæ spaciū dedisse, vt ex D. Iobō constat: ita & tuo Filio certum viuendi terminum ac tempus moriendi constituisse, quod præterire non potuit. Quando nunc hora venerit, tunc transeundum est. Anni enim & dies vitæ nostræ non minus numerati sunt quam capilli capitis. Non tamen se quisquam temerè ingerere periculis debet, nec etiam remedia respuere: hoc enim esset Deum tentare. In super hoc ipsum magnum est indicium dilectionis Dei. Veteres enim dixisse ferunt: *ὅν γὰρ θεοὶ φιλοῦσι, ἀποδύθωκει νέος.* Quo & Plautus vtitur: Quem Dii diligunt, adolescens moritur. Quod tantum de ijs verum est, quorum anima placet Deo, quos etiam Deus non diutius vult hic detineri in spe, verum eò citius secundum beneplacitum ad requiem, lætitiā & possessionem bonorum æternorum transferri. Non igitur sine certo consilio & causa Deus fidelium mortem vult esse breuem, quamuis natura illis longiora vitæ spacia polliceri videatur: at præcipue, vt molestiæ ac miseriæ huius vitæ, temporis exiguitate finiantur, atque periculis præsentibus & malis immi-

Esaiæ 57.

imminentibus ipsi leuati liberentur. Deinde quoque quia eorum anima placet Deo, ideo non amplius vult, vt inter peccatores viuant, ne malitia perueriat mentem eorum, vt in libro Sap. etiam scriptum extat, Facile enim fieri potest, vt quis ex bonis etiam vel à Diabolo, vel à mundo, vel à sua carne seductus & corruptus incidat in errores & scelera. Proinde Ecclesiastes ille sanctos magis laudauit mortuos, quam viuentes & feliciorum iudicauit eum, qui ne dum malus esset, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Quis etiam hominum est qui non in longo vitæ cursu multum peccet & offenda? Quot felices denique forent, si in primis adoleſcentiæ annis animam profudissent, qui postea exacta ætate cum infamia & dedecore interierunt? Tempus me deficeret citius quàm oratio, si eorum exempla commemorare vellem, quorum gloriam partam rebus præclare gestis in iuuenili ætate, cum vitæ terminos ad vltimam vsque senectam perduxissent, turpis atque infaustus exitus deformauit. Historiarum monumenta vna cum experientia id abundè ostendunt. Præterea in morte non est ordo vt senes vel parentes præcedant, iuniores seu liberi ijs tumulum parent, verum Necessitas: neque etiam in morte quæritur, quamdiu quis vixerit, vt quæ non respiciat ætatem nec robur corporis, vt & Poeta vetus atque grauis monet Horat: Mistra senum & iuuenum densantur funera. Moderati igitur hominis est ferre, quod mutari nequit. Neque præcox etiam mors à serotina differt, si hominum naturam respexeris: Sicut enim proposito ad communem patriam iugnere necessario & quod regulari non potest: hi quidem præueniunt, alij sequuntur, omnes vero in eundem locum succedunt: Sic cum ad fatum tendimus nil amplius consequuntur, serius aduentantes, quam qui ocys accesserunt. Quoniam igitur immotâ lege decretum est, omnibus, quoscunque hic mundus suo ambitu complectitur, semel oppetendam esse mortem, quacunque tandem ætate, dignitate aut loco sint constituti: nonne is verè beatus dicendus erit qui felici migratione ita discessit ex hoc seædo ponderosi corporis carcere, vt superatâ morte, quæ pijs recte IANVA VITAE dicitur nunc denique (commutata non vitâ cum morte, sed morte cum vita) vere viuere incipiat? Et quia Filius tuus ita
C reliquit

reliquit huius vitæ non vitæ, usuram, ut pertæsus illius, flagrantissimo desiderio animi, soli Christo Redemptori unicè dediti, suspirarit ad coeleste illud *ωλιθευμα*, & aliud nihil cupuerit, voluerit, optarit & summis à Deo precibus contendere, quam esse cum Christo suo, quis non gratulandum ipsi potius feliciss. hunc & beatissimum celestis *χορραιας* statum, quàm eius morte dolendum esse existimet? At carendum tibi (inquies) patri luctuosissimo adhuc superstiti hinc tam caro bono interim? Modicillū certè & perbreue tempus superandum restat, quo consuetudo vestra dirimetur, at sempiternitate congressus ac colloqui gratissimi, conversationisq; dulcissimæ in celo compensabitur. Quisnam verò hominum verbis potest satis efferre brevitatem & incertitudinem huius vitæ?

Psal. 103.

Es. 40.

Psal. 90.

Sap. 5.

Quoties eam sacra scriptura comparat umbræ evanescenti? Qua similitudine Ethnici, ut Sophocles, Aeschylus, Pindarus, aliq; utuntur. Quid autem umbrâ inanius aut mutabilius? Quoties in sacro codice confertur cum flore agri? quoties aquæ decurrenti, fabulæ & volatui comparatur? Notum est proverbium *πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος*. Quo respexisse Lucianus videtur, qui vitas hominum bullis similes facit, quarum aliæ simulatq; natæ sunt protinus evanescent, aliæ paulò diutius durant, omnes brevibus quibusdam intervallis aliæ succedunt alijs: Sic certè nos exitu æquamur, intervallis distinguimur, secundum Senecam. Quam brevitatem Euripides, exprimere volens, vitam mortalium appellat dieculam. At Phalerius Demetrius eam potius vocandam arbitratur *σιγμήν χρόνου* & verâ etiam est punctum seu momentum temporis, relata quavis longissima interris ad perennitatē vitæ futuræ in celis: Cui

Cap. 18.

& Siracides astipulatur, ubi ait: Sicut guttulla est ad immensas maris aquas: Sic sunt anni hominis ad æternitatem. Licet autem brevis sit vita, tamen insuper brevitatis semper incerta: Vt Augustinus etiam conqueritur, ita ut nihil certius morte, at nihil incetrius horâ mortis ac facile accidat, ut dum hodiè sumus sani atq; incolumes aliqui ex nobis cras vel decumbant vel animam efflent, ut non incommodè Seneca dixerit: Nemo tam Divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri.

ac ve-

ac verissimum sit, quod dicitur: Hodie mihi, cras tibi, maxi-
mè hoc periculoso tempore. Adeò mediâ vitâ in morte su-
mus. Quapropter requiritur ut singulis horis ac momentis in
procinctu stet animus, tanquam ad extrema sit ventum, id
quod necesse est minimè timeat, quodq; incertum est, semper *Seneca*
expectet. In tanta nunc vitæ brevitæ & fugacitate, quan-
tulum quæso interest, paulò serius an maturius quis diem suum
obeat. Neq; etiam refert, pauculos annos addere aut demere
de vita humana, cum ea quidem vel longissima ad cognitio-
nem rerum infinitarum angustissima dici possit, immo ista No-
ticia imperfecta & manca sit respectu futuræ perfectissimæ
in celo. Nam dum sapere hîc incipimus, aut morimur aut
morbo aut senectute confecti nobis, alijsq; tædio vel ludibrio
sumus. Nobis satis sit, hanc vitæ nostræ conditionem æquo
animo ferre, & quodcunq; spacium vivendi datum est, ita di-
spensare ut nec frustra nec sine laude vixisse videamur. Brevis
enim licet sit vita, attamen memoria benè redditæ vitæ erit
sempiterna teste Cicrone. Vita autem longæva non est lau-
de digna, si virtute careat, ut idem Cicero inquit: Qui nihil
in vita habet iucundius vita, is cum virtute non potest vitam
colere. Qui enim immemores sui vitam transigunt fœdis
voluptatibus & flagitijs sese contaminantes atq; inertæ, so-
mno & turpi otio dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas
quotidè finiunt: immo is vita, quamdiu eâ conceditur frui,
pro pœna est, cum non hominum sed bestiarum more vivant.
Optima igitur vita non ex diuturno spacio sed ex honesta-
te est metienda: Bonum enim non in temporis diuturni-
tate, verum in virtute est ponendum. Quapropter is
diu vixisse putatur non qui plurimos annos conficiendo ut
ἐπίποτον ἄχθος ἀσέβης, tempus & fruges consumit, sed qui
pietate, virtute & doctrina præditus honestam sui memori-
am posteris relinquit. Quod ipsum & Sap. 4. ostendi-
tur: Vitæ longitudinem seu Senectutem non esse æsti-
mandam annorum numero sed veræ caritæti laudem ade-
ptum esse eum, qui in fide Christiana rectè educatus, Vir-
tute & doctrina ornatus est, atque huius siue infantis siue

In Epist.

adulescentis siue iuuenis mortem licet præmaturam, multo celebriorem esse ac præstantiorem omnium impiorum decrepita ætate, quantumuis Nestoris annos compleuerint. Verissima igitur sententia summi oratoris qua dicit! Neminem parum diu vixisse, qui perfectæ virtutis functus est munere, et rectè Seneca ait: Satis diu vixit, qui vixit benè, et idem non quam diu sed quam bene acta sit vita, refert. Quemadmodum autem bene creditur euenire ijs qui arduum opus inceptum & longo temporis spacio efficiendum sua vel aliorum spe celerius omnibus nervis ac facultatibus contendentes absoluunt præ illis, qui tardo cursu longissimæ navigationis per ambages circumducti, incommodis superatis tutam stationem tenent: ita benè cum ijs agi est existimandum, qui munere diuinitus dato ad tempus rectissimè utuntur & fruuntur atque mature absoluto opere, cuius causa sunt nati, illud naturæ reddentes, honestè portum tenent, præteruecti huius vitæ, quasi maris vasti & procellosi scopulos & Syrtes. Cum igitur Spectatissime Vir Dn. Rector, & Filius tuus pietatem & virtutem cum lacte materno imbibere, atq; te optimo Duce præeunte & moderatore rectissimè informatus, in studijs cum singulari sui laude ac bonorum expectatione sit versatus, atq; ætate factus proeuctiore summum in artibus gradum assecutus sit nondum tamen ingressus annum vigesimum, omnemq; vitæ suæ cursum benè uti decuit ac laudabiliter confecerit, sicut præter nostram testificationem, etiam publica celeberrimarum Academiarum & summorum Virorum testimonia id ipsum planum faciunt, atq; ita breui factus fuerit perfectus & summam senectutem adeptus sit non quidem annorum numero sed copia doctrinæ & virtutum merendam, at temporis fructuose consumsit, satis gloriæ acquisiuit & comparauit sibi, atque sat famæ honestæ reliquit. Eorum autem discessus quorum vita commendabilis fuit & mors honesta ac pia, omnes lacrymas ab oculis suorum abstergere, eorundemque memoria ijs consolationem afferre debet. Atqui hac in parte Clariss. Vir, cogitatione & lectione paululum percurrendo veteres annales, exemplo Clarissimorum & summorum Virorum tum
Roma-

Romanorum tum Græcorum, idem facias quorum liberi etiam
bene educati & Virtute spectati in media constituti ætate fue-
runt quidem extincti: verum ipsi parentes magno & infra-
cto animo hoc quicquid fuit, incommodi vel jacturæ tulerunt,
potissimum si mors eorum fuit gloriosa. Atq; ob oculos ti-
bi ponas imprimis sapientem illum Virum & senem M. Ca-
tonem, qui etiam filium natu maiorem, juvenem summo in-
genio, summa virtute perdidit, insuper prætorem iam designa-
tum: qui parens à Cicerone introducit, sese consolans ut
Christiani quidem loqui solent, minime tamen ille ut membrum
veræ Christianæ Ecclesiæ in Dialogo qui inscribitur Cato
Maior seu de Senectute, his verbis: ò præclarum diem, cum
ad illud animorum concilium, cætumq; proficiscar, & cum
ex hac turbâ & colluvione discedam. Proficiscar enim non
ad eos solùm viros, de quibus antè dixi, sed etiam ad Catonem
meum, quo nemo vir melior natus est, nemo præstantior, cuius
à me corpus crematum est, quod contra decuit ab illo meum.
Succurrat tibi Q. Fabius Maximus, qui filium amittens virum
consularem & clarum rebus egregius, ut vir prudens & huma-
nus parens, casum suum æquissimo animo tulit: Laudationem
verò funebrem, quod munus propinqui obeunt, ipse in con-
cionem prodiens, pro filio dixit. Nec non minori animi ma-
gnitudine compressit dolorem Q. Martius Rex cognomento,
orbatus magnæ spei filio. Omitto exemplorum agmen, ut
Caij Iulij, D. Augusti, & Claudij Cæs: Regis Antigoni, L.
Syllæ, P. Crassi, L. Bibuli, Horatij Pulvilli, Aïnij Pollionis &
aliorum fortissimorum Romanorum, qui liberos ac nepotes,
in quibus summam spem generis & imperij positam habue-
runt, in ipso ætatis ac rerum gerendarum flore amiserunt,
iporum verò obitum constanter ferendo seipsos vicerunt.
Quid etiam dicam de Græcorum, ut Anaxagoræ, Periclis,
Dionis Syracusani, Demosthenis & aliorum fortitudine atq;
firmitudine in obitu suorum: Unicum exemplum tibi ante
oculos statuas Xenophontis Historici & Philosophi iucundis-
simi, qui cum audisset, alterum ex filiis maiorem natu, in præ-
lio apud Mantineam cecidisse, coronam deposuit: per-

contatus demum, quonam modo occubisset? cum strenuè
dimicando referrent, aliquantulum temporis commoratus,
luctum cohibuit: ac coronam rursus impo uis numina testa-
tus, se plus ex virtute filij voluptatis, quàm ex morte doloris
percipere. Quibus exemplis probare voluerunt veteres, pru-
dentem ac gravem virum luctu neuiquam adeò perturbari,
sed mortem eorum, quos charos habet, debere leniter dolere,
præsertim si fuerit vita honesta & mors gloriosa. Sic enim Vi-
ri fortes laudis studio eiusmodi mortem ut summum bonum,
etiam vitæ prætulerunt, quod assecuti esse viderentur, si in eodem
terminis quibus vita, etiam memoriæ famæq; gloria finiretur.
Quod si igitur nunc tam perinacem constantiam servâint in
morte suorum homines extra Ecclesiam Dei, turpe sanè foret,
nos Christianos superari ab ijs magnitudine animi vel patien-
tiâ, qui magis efficax solatium ex iâcrarum literarum monu-
mentis possumus reportare ut de resurrectione corporum hu-
manorum, de immortalitate Animæ & statu utriusq; post hanc
vitam miseram & brevem. Atq; hoc, eximie Vir, ut facias, non
solum te possunt exempla Ethnicorum commonere, verum
etiam sanctorum hominum, vel maximè debent commovere:
In primis Iobi mortuum omnium patientissimi, de quo supra.
Multò certius etiam te ad firmitudinem eriget sapientissimi
Regis Davidis exemplum, quàm Marci Catonis, qui prophe-
ta nunciata filij morte, quem egregiè carum habuit, mutato
vultu alacris ad epulas accessit, atq; hisce verbis sese cõsolatus
est: Ego vadam magis ad eum, ille autem non revertetur ad
me. Hæc unicâ spe etiam firmiter nitamur, & animum obfir-
memus: nos nimirum relictâ hac vitâ misera profecturos ad be-
atorum animorum concilium, non quidem locum incertum,
de quo Ethnici etiam nihil solidi potuerunt affirmare, sed
quem Psalmographus David alibi innuit, inquit, præcipuè
psal. xv. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:
Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu
tuo, delectationes in dextera tua usq; in finem. & psal. 83. Be-
ati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum
laudabunt te. In qua domo celestis Patris sunt multæ mansio-
nes solis ijs, qui in Christum verè credunt paratæ: ibi congregabuntur

gabimur in cœtum beatæ ecclesiæ & colligemur ad populum
eum, qui ante nos fide promissi Messia, extra quem non est
salus, quique solus est via, vita & Resurrectio nostra, ex hac
vita discesserunt, & !grata quiete perfruuntur, ac sunt cum
Deo vel in manu Dei, seu sinu Abrahæ, in pace, requie, secu- *Eccle. 1. 22.*
ritate & consolatione, ut multis in locis scriptura loquitur. *Luce 16.*
donec tandem resuscitatis corporibus & receptis iisdem *Sap. 3.*
at glorificatis in extremo iudicio per æterna secula, convi- *Hebr. 4.*
vamus, colloquamur, & converseremur cum Christo, & om- *Iobi. 11.*
nibus electis iuncti simul nostris, fruente cōspectu sacro san-
ctæ & individua Trinitatis in vita perpetua, ubi nullum
aderit malum & nullum deerit bonum. Hæc est arx Chri-
stianæ consolationis, qua nos in omnibus calamitatibus, af-
flictionibus ac denique in ipsa morte oportet sustentariet.
Illa vita erit verè vitalis, ad quam assequendam omnia nostra
studia & actiones referamus necesse est. Hic est latissi-
mus ille portus, quem eluctati ex varia huius vitæ, quæ ἀλιδωε
& βίος, ἀλλὰ συμφορὰ, iactatione & ærumnis tristissimis capi-
entes, vere beati sunt censendi. Quandoquidem autem mors
est veluti medium unicum, quo intercedente ad vitam æter-
nam gradum seu transitum facimus, quid est, quod tantopere
extimescamus ipsi mortem, cum eius sit mortem timere,
qui ad Christum nolit ire, eius sit ad Christum nolle ire, qui
se non credit cum Christo incipere regnare: ubi terrenis ce-
lestia & parvis magna & caducis æterna succedunt: Vt D.
Cyprianus in sermone suo, vivi solatiij pleno, de Mortalitate
inquit: vel pie de mortuos adeò lugeamus, cum multi Ethni-
corum eam appellarint portum & finem malorum ac dolo-
rum, atque hominibus à natura utiliter esse datam statuerint:
Verum nos Christiani ex sacrarum literarum fontibus firmio-
rem consolationem haurire, ac verissimum illum fructum ad
pios ex vita & morte beata redeuntem, inde perspicere &
percipere possumus. Potissimum autem consolatione ple-
num est illud D. Pauli, quod totus Filius paulò ante mortem *Phil. 1.*
sæpe in ore habuit & ad extremum usque vitæ halitum con-
tinenter repetivit: Cupio dissolvi & esse cum Christo. Illud
desiderium locum habet in hac vita, in qua pij ἐπιθυμίαν ἔχουσι
desiderant

Socrat. a-
pud Plato.
in Cratylo.
Macrob.

desiderant, seu appetunt celestia, non quod importuno voto
diem Domini antevertere velint, vel in Dei gloriam hinc diutius
vivere recusent, sed ut se ad mortem paratos, quando id Do-
mino visum fuerit, declarent; & citius omnibus malis levatis,
æternorum bonorum particeps fiant. Quo desiderio sæpè fla-
grat David, & beata Monica incensa exclamat: Evolemus,
evolemus: & filius eius Augustinus, ac permulti pii homines
eodem oblangvere: Sed carnalis homo potius in hoc mundo
immundo vivere cupit, ceu sus in luto, vel ut captivus delecta-
tur turri & carcere fœdo. Alterum τὸ ἀναλῦσαι autem præci-
puè ostendit dissolutionem animarum è vinculis corporum.
Hoc enim mortale & ruinosum corpus est veluti carcer, in
quo tenemur ligati & vincti, quod & græca vocabula σῶμα
quasi σῶμα & δεµαε quasi δεσµοε notant. Idcirco hanc vitam
Nazianzenus vocat Compedes & animæ remoram: Anshel-
mus claustrum carnis, quod & Cicero affirmat inquiens, nos
è vinculis corporum tanquam è carcere avolare. Quo igitur
diutius quis in hac vita tenetur, eo serius portum alterius ob-
tinebit. Quod vocabulum etiam usurpatur de navigantibus.
Vita enim nostra omnino naviganti similis est. Quemadmo-
dum autem Nautæ in mari vasto coguntur perpeti famem, si-
tim, frigoris vel æstus iniurias ac sese in pericula extrema im-
mittere, procellolis ventorum flatibus ac fluctibus horrifonis
huc illuc agitari, inter scopulos innumerabiles atque syrtes hinc
inde ferri, tam propè mortem quam propè aquam cernere, &
piratarum impetum aut incursum sustinere, monstrorumque
marinorum vim metuere ac propulsare, donec quidam ex his
submersi pereant, quidam prætervecti vada & scopulos, eo ci-
tius, quidam verò satis diu solventes demum anchoram ante
portum iactant: Sic viventes in hoc mundo veluti in pelago
immenso, tumido & indomito difficilissimæ & periculossimæ
navigationis, necesse habent inter rapidos fluctus vecti susti-
nere miserias, anxietatem, inquietudinem, adversitatem: atque
ingravissimæ vitæ discrimina inducti quasi inter cautes & syr-
tes, infestissimis insuper & rabiosissimis procellis iactati cogun-
tur monstrorum infernalium ac hostium, Tyrannorumque in
terris rabiem, insultus & furores reprimere, huc illuc repulsi,
ita ut

ita ut oculis eorum quotidie, imò singulis momentis mille ter-
rime mortis species obijciantur: donec post diutissimam
agitationem & fluctuationem quidam tendant ad inuicem, qui-
dam verò ocysus vel tempestatem vitantes, prætervectiq; scro-
pulos, quidam verò tardius, defuncti periculis, varijs malis ex-
antlatis, hostibusque superatis, sacra anchora nimirum Chri-
sto sese fulciantes in portum deferantur quietis, securitatis &
liberationis optatissimæ tutissimum, omniumque piorum ani-
mis & votis expectatum & expectatum. Denique significat κατὰ λυεῖν
etiam dimitti cum salvo conductu & comitatu instructum est *diverte-*
viatico atque emigrare ex præsentis huius vitæ diversorio seu *re in hospi-*
hospitio ad æternam cum CHRISTO consuetudinem. In *tium*
hac enim vita peregrinamur à Domino, hoc est, ut peregrini
& advenæ non habemus manentem civitatem, sed aliam
quæramus videlicet celestem Hierosolymam, atque in illam
emigremus, quò magis simus præsentibus apud Dominum, ut *2. Cor. 5.*
alibi D. Paulus declarat. Oportet autem hanc terrestrem do-
mum seu tabernaculum, in quo habitat anima. h. e. Carnale
corpus ex limo factum & in limum rediens prius dissolvi, sed
non planè in nihilum redigi: Et hæc omnia fiunt in morte
piorum, quæ est ceu ianua ad vitam æternam, ad quam mi-
grandum & hinc per mortem transeundum ac perumpen-
dum est: Vnde etiam dicitur *Transitus ad vitam. Tertium* *Iob. 5.*
est quod additur, esse cum Christo, in quo & per quem omnia
habemus. In Deo enim tale ac tantum erit sempiternum gau-
dium, quale & quantum ne angelicâ quidem voce satis expri-
mi, nedum ullius unquam hominis cogitatione comprehendi
potest. Inmenso gaudio perfunditur, ac magnam in se glori-
am transmovet, si quis amanter & hilariter conversatur cum
summis viris & principibus: quantam quæso lætitiâ adferet,
esse cum Christo domino dominantium, & eius gloriæ parti-
cipem fieri. Licet autem Christus semper nobiscum sit in
hac vita & nos simus cum Christo, videlicet in fide, dum eum
habemus nobiscum in verbo & Sacramentis, tamen præ mole
huius corporis & sordium animæ quibus propter peccatum
infirmur, non possumus capere in hac carne mortali fructum
veræ felicitatis, quam habemus in Christo, idcirco sumus pue-
ri &

D

ri &

ri & indigemns institutione, ac necesse est, ut prius totam illam corporum nostrorum massam & naturam crassam, sordidam & corruptioni obnoxiam deponamus, donec corruptibilitate devicta, excitentur rursum corpora eadem quidem, at gloria celesti & incorruptibili ornata: tunc à facie ad faciem videbimus Christum, quem nutu uno intueri superat gaudia totius mundi, tunc erit perfecta visio & cognitio: Interim anima beatorum sanguine Filij Dei conspersa & mundata è fragili domicilio in celeste tabernaculum evocata, est & vivit cum Christo, hoc est, lætatur, & fruitur quiete amabili ac salute æterna, & vera præsentia ac conspectu Dei. Quæ omnia venustè complexus est his versiculis Poëta Flaminus:

Me solve tandem vinculis

Istis, ut evolem tuam

Beatus ad præsentiam, &c.

Et D. Augustinus graphicè depingit istam visionem, ac simul vitam illam augustissimam, dulcissimam & perfectissimam his verbis: Vbi salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, ubi amor nunquam tepescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi læticia semper habetur, ubi hostis nullus, quoniam ibi summum bonum possidetur, sed summa & certa securitas, secunda tranquillitas, & tranquilla iucunditas, iucunda felicitas felix æternitas, æterna beatitudo & beata Trinitas, Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & Deitatis beata visio, quæ est gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te, ibi & videbo visionem hanc grandem. Hanc visionem DEI beatiss. debemus & nos cupidè appetere: Huius veræ vitæ adipiscendæ desiderio unicè flagrare: ut ea potiamur maximè nunc omne operæ studium, animique curas & cogitationes & sollicitudines omnes eò conferre: ijs qui nunc ea perfruuntur gratulari potius, & minimè lugendo quasi invidere.

Verum, ut nunc ad Te Clarissime Vir Dn. Rector, Tuumque Filium mea convertatur iterum oratio: profectò ingentis consolationis loco esse Tibi debet, quod non solum

Filius

Filius tuus optatis. toto vitæ suæ tempore tuis & aliorum
 præceptorum tuorum dictis audiens, & omnes voluntatis
 arbitri que ipsorum nutus observans, præcipue assidua libro-
 rum sacræ scripturæ & doctrinæ celestis lectione atque au-
 scultatione pietatem erga Deum & fidem declaravit, ac lau-
 dabiliter vixit: verum etiam in hoc extremo actu vitæ pla-
 cidè & beatè Spiritum ediderit, atque nunc verè hæres sit il-
 lius sempiternæ ac celestis vitæ, cuius rei habes firmissima ar-
 gumenta & indicia. Cum nimirum vinci Naturam à morbo
 lethali, quo correptus erat, paulatim intelligeret, & suam qua-
 si prælagiret mortem, & transitum ex hac vita levi & brevi
 instare prævideret: Sicut alias per totum vitæ suæ curricula
 (quod professionem Christianam decet) frequenter, & in elap-
 so vix mense uno fecerat, ita tum quoque absolutionem à
 peccatis & usum cœnæ Dominicæ expetivit: & tanto maiore
 animi desiderio cupidiusq; expetivit, quo propius sibi fatalem
 vitæ terminum instare animadverteret: non prius quiescens
 instanter monendo, & vos parentes suos carissimos, alioqui
 ad hoc perficiendum paratissimos & promptissimos urgendo,
 ut accersitus Minister verbi, omni seposita mora, subito ad-
 fet, quâ præsentem illū conspicaretur, unice hoc delectatus,
 in su aviterq; recreatus Quemadmodū enim qui spiā iter pericu-
 losum ingressurus absque adminiculis necessarijs sese non com-
 mittit viæ, verum sese apparat atque instruit pecunia, calceis,
 vestibis, itemque armis & præsidijs, quibus sese adversus la-
 tronum impetum atq; incursum possit defendere, & eò citius
 in locum destinatum & tutum pervenire: ita & Filius Tuus *Ios. 23.*
 ad mortem veluti viam universæ terræ sese probè accingere, *1. Reg. 2.*
 atq; in confirmationem fidei suæ prius sacro pane & celesti *Iobi 16.*
 potu ceu mystico viatico instruere: & tanquam vero ἐποδίου
 ac φυλακῆς ad vim infernalium latronum longissime pro-
 pulandum semet munire & velut simbolo futuræ resurre-
 ctionis erigere atque confirmare voluit. Quapropter præ-
 nominatus Tuus Filius M. Christopherus confessione sua
 Christiana religiosè edita, & verè accipiens sacratissimum
 corpus & sanguinem filii Dei in remissionem peccatorum
 suorum omnia, beneficia Christi, quæ per innocentem passionē &
 mortem

mortem suam atque gloriosam resurrectionem nobis acquisi-
vit, sibi quoque per rectam fidem ex verbo Dei applicuit, atq;
hoc munimento animum & corpus obfirmatum & corroborata-
tum habuit contra stimulos peccati, contra terculamenta
mortis, contra insultus inferni & tentationes Satanæ: qui ho-
stes vicinum morti vel maximè invadere & excarnificare so-
lent: verum ex divina gratia cum omni potentia funduntur
& superantur ab ijs, qui firmiter nituntur merito Christi. Sic
ergò ad ingrediendum hoc iter, omnibus votis expetendum,
ducens ad celestem sempiternorum bonorum possessionem,
transferensq; ad dulcissimam cum Deo & beatis Mentibus con-
suetudinē, vester filius omni ex parte probè paratus, summis su-
spirijs, animiq; desiderijs expectat extremam vitæ horulam: nil
aliud quàm Christum sonans: neque continuo interpellari se
ab astantibus, vobis parentibus ferens, subiectionibus vestris
Christianis de beata animæ ex corpore migratione, sed diser-
tè perspicuis verbis addens: talia & tanta abundè cordi suo
à CHRISTO SVO præsentem nunc suppeditari, & illa se interius
dictata audire, atque sentire iam ex his orta novæ futuræ vitæ
gaudia, per Spiritum Sanctum accensa, ut nihil amplius ad illa
plenè percipiendâ restet, quàm tabernaculi istius sui terreni
dissolutio: In eius rei certitudinem præstantissima & dulcissi-
ma sacrae scripturæ dicta cum summa animi devotione semper
ipse protulit, ut illud Apostoli Rom. 14. sive vivimus, sive mori-
mur, Domini sumus. Et illud ex psalmo 73. Quid enim mihi
est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro
mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æ-
ternum. Itemque illud psalmi 142. Tu es spes mea, portio
mea in terra viventium. Cum quo congruit Symbolum com-
mune utrique tum Parenti in terris nunc mœstissimo, tum Fi-
lio, tunc quidem morituro at nunc in celis verè viventi: ἐλπίζω
καὶ μέλλω ὁ Χριστὸς ὁ μόνος. Ac sæpius hæc verba iteravit, cupio
dissolvi, & esse cum Christo. Veni citò Domine Iesu, & ipsum
te mihi communica totum, faciemque vivam exhibe. Et alias
ex sacris literis sententias Spiritu Sancti consolationis plenissi-
mas Filius tuus enumeravit, atque germanicas cantiones, &
precatiunculas, & eiusmodi vocibus sanctis sese insigniter re-
creavit.

creavis, ut multis illustribus & evidentibus probationibus ostenderet Spiritum Sanctum, quod iterum verè dico & affirmo, habitare in ipsius pectore, & lucere, illudq; corroborare, ac mentem & linguam à divino Numine cieri & regi: atque Dn. Pastor abiturus diceret: ipsum sat habere consolationis in ijs omnibus, quæ iam recitasset: & ex illius sermonibus, gratia Dei assistente, tantam seipsum percipere vim, animum revera recreantem & vivificantem, quantam à se vix suppeditari posse, lubens fateatur: tantumq; precari, ut Deus sempiternus in corde eius conservaret hanc fidem & lucem per Spiritum sanctum ac censam: ad quæ verba ille clara voce adiecit ter repetendo: Amen. Inde discedentem prosecutus est hac voce, clarè pronunciata, totum sese in lecto erigens, & ad somnum se veluti compositurus: Beata nox Dn. Pastor: placidè in latus dextrum, dextra capiti substrata, recumbens, & iam aliud nihil, quàm extremam extremæ liberationis horam, emigrationemque ex corpore suo beatam cupidissimè expectans. Et mirandum certè fuit, quod minimè reformidaret mortem ut & antè meminì, ipse, in vigore ætatis constitutus (cum alioquin omnes natura simus φιλόψυχοι, maximè adhuc vegeti & alacres, atque exhorrescamus ad ea, quæ repentinò inopinatoque motu eveniunt) sed animose loqueretur, ut quis putasset, eum non agrotare: atque cogitationibus terrenis iam penitus ex animo eiectis, omniq; fiducia & spe in solo Iesu Christo reposita, nihil aliud, quam dissolutionem sui corporis, & deposita hac terrestri sarcina, in Christo & cum Christo Domino ac salvatore omnium nostro esse cuperet: quod desiderium non profectum est ex carne, sed supernè: quæ victoria non consistit in viribus humanis, sed fide sola in Christo fixa. Solus enim Christus est viva imago mortis contra mortem, ut eleganter tradit Lutherus in concione sua de morte. Hic est Deus noster ad salvandum, & Dominus Deus educens ex morte. Per hunc Dominum Christum Deus tribuit & Christophoro tuo victoriam contra peccatum, mortem, Diabolum & infernum. Quam victoriam adeptus fuit per sacram cœnam & fidem: Vnde simul certus fuit de resurrectione corporis sui, adeò quidem, ut cum tu, pater mœstif-

D 3

simus

simus animadvertes, propè iā animā ipsum exhalaturum, Filij
Dei cruore redemptam, & lacrymabili voce & gestu ad eū con-
versus, in hæc verba erumperes: Fili mi optime, qui a video te iā
accinctū esse ad iter ducens in sempiternā ex hac mortali vita,
conficiendū: & iam, proh dolor (quod restantur hæ lacrymæ
meæ) omnino nos seiungi in his terris necesse esse: quid qua-
so nobis hic ad postremū conservandæ miseris parentibus me-
moriam tuam perpetuam causam, relinques? ipse perindè alta voce,
ut animo maximè excelso, exciperet: Egone quid vobis relictu-
rus sim? & mox exigua considerationis alicuius morula inter-
posita adjiceret recitatione clarissima: Hoc nempe, ô parentes
mei in vita mea, quādiu mihi suppetebat, post Deū carissimū,
hoc nempe vobis relinquam: utes illo Iobi dicto integro cap.
19. Scio quod redemptor meus vivit, & in &c. Vbi ex imis cor-
dis penetrabilibus reddidit illa verba, sono productiore, & ma-
xime distincto: Redemptor meus: circumdabor pelle mea: in car-
nemea: Visurus sum Ego ipse: oculi mei & non alius: hæc spes
mea: Sic claudens postremò hoc dictū: Et hæc quidem extrema
mea confessio congruit cum his Symboli nostri verbis: credo
carnis resurrectionem & vitam æternā: quam iam lætus adeo,
viam mihi monstrante Redemptore Christo, comite mihi adhibi-
to, qui est Via, Veritas & Vita. Cibum enim ille Eucharisticus
mortalitatē nostrorum corporū mutat in suā naturā hoc est,
immortalitatē, vitam & gloriā, ut inquit Iustinus Martyr. Cuius
initia hic vere sensit & Filius tuus paulò ante obiit. Postremo
petijt ille iam moriturus, à Te Parente sibi prælegi evangelium
aliquod, quod postea nominavit videlicet 17. cap. lo. quod per
totam vitam sibi maxime habuit familiare: ad cuius Luc & aliarū
memorabiliorū sententiarū recitationē græcam, quotidie in-
stituebam, etiam puer, astans mensæ ante cibū sumendū & sum-
tū, assuefactus fuit: quod & vario, postmodò adolescentior,
metri genere, pro ætatis ratione, satis feliciter & concinne
expressit: quod caput complectitur ardentissimam & ultimam
precationē Domini nostri Iesu Christi (cum iā ingrueret hora
tenebrarū qua mortē erat obiturus) pro glorificatione & recta
agnitione sui ac patris, pro discipulis & omnibus verè credentibus,
ut & ipsi unū sint. Atq; attentissime auscultans, ac interrumpens
interdū lectionem cū gemitu & intimo cordis motu, applicuit

sibi verba textus: præcipuè autè hæc [Quotquot dedisti] se etiã
esse ex numero eorum qui Christo sunt dati: Omnes enim, qui
in Christum credunt & perseverant in confessione Evangelij
sincera, Christo à patre sunt dati hoc est, electi sunt ad vitã æ-
ternã sine personã ù respectu. Deinde autem illud dictum: Hæc
est vita æterna ut te, quod loquitur de ratione & modo conse-
quendæ vitæ illius æternæ beatissimæ & gloriosissimæ, qui in
vera fide seu agnitione Dei Patris & Filij consistit, sine qua ne-
mo in celestis illius civitatis societatem cooptatur. Item credo,
quod Dominus Christus suã, pro me oraverit, cui nunc cõmen-
do animã meã, quã nunquã passur9 est è manibus suis eripi. Itẽ
perlectis his, Pater volo, ut ubi ego sum, illi quoque sint, quos
dedisti mihi, ut videant gloriã meã: ibi complicatis manibus &
ad celũ sublatis dixit: & ego cupidissimus sum dissolvi ac cõ-
versari cum Christo, atq; videre gloriã eius, sicut alibi dicit: Vbi
ego sum illic & minister meus erit. q. d. Filius Dei: Volo, ut om-
nes quicunq; meũ Evangelium constanter & verè amplectun-
tur, in eodẽ honore, gloria & maiestate & regno sint mecũ atq;
eadẽ læticia fruantur celestis, cuius participes reddetur in futu-
ræ vitæ sempiternitate: de cuius gloriæ & læticiæ magnitudine
Apostolus pronunciat, quæ nullius oculorum aut aurium sensu
percepti vel cogitatione comprehendi potest. Atq; ita medita-
tionibus sanctis & colloquio de adipiscenda vita æterna illa
& gloriosa, de resurrectione corporis tantum occupato ani-
mo, factus est, se sentire & percipere quasi prægustum gaudij
celestis etiam in terrestri corpore, donec precibus suis adenti-
bus exauditis mente in universum adhuc integra sibiq; rectissi-
me cõstante & nullo cruciatuum sensu percepto aut mortis hor-
rore vel gravi luctu, quod ut singulare Dei donũ est agnosce-
dũ ac celebrandũ, in vera invocatione sui Mediatoris ac Re-
demptoris Iesu Christi, quẽ pius Christopho. nomine & re, tuus
pectori infixũ gestavit, & semper in ore habuit, re vera etiam
usq; ad extremũ terrestri vitæ halitũ in cui9 man9 quoq; ani-
mã suã in agone mortis cõmẽdavit, atq; repetitione simul ver-
borũ ex D. Paulo, & Cyneæ cantionis Simeonis: Nunc dimit-
tis servum tuũ &c. & ultimorũ verborũ Christi in cruce, quõ-
bus & Sanctus Stephanus & alij pii homines sunt usi: Domine
Iesu suscipe Spiritum meum susci. &c. deficiente voce in

complexibus parentum admodum patienter & placidè expi-
raret & sic voti unicè expetiti compos factus, obdormiret:
Similior exultanti atque gestienti laticia ingente, interius ani-
mo concepta, quam ullo mortis celeriter approperantis terrore
periculso, nedum exanimato, veluti Simeon: cuius Cyc-
neam illam cantionem, non modo constitutus iam in primo
mortis adeundæ limine, cum illo suo paulino CVPIO DISOL-
VI, frequenter claro, aut etiam intento orationis sono usurpa-
vit, sed & primum locum habere inter alia in nebria dum
corpus efferretur ex ædibus, pijs ceremonijs terræ mandan-
dum, iterata repetitione constitueret: huius voluntati postre-
mæ, desiderioque ardenti, hac quaque in parte satisfactum fuit:
exhibitis inirio illis sancti Simeonis verbis, quemadmodum
suavi harmonia à Luthero expressa extant. Atque ita in Filio
tuo Christophero verissime completum est, quod Ioh. 8. scri-
ptum extat: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non
videbit in æternum, Et ibidem: Quod credentes in Christum
mortem non sint gustaturi. Hic enim ἀλεξιμαχος dominus ac
destructor mortis & dator vitæ primus stans in acie, contra
omnes hostes facit nos dominos eorum, videlicet Diaboli, car-
nis, mundi, peccati, maledictionis & tandem mortis. Et de
Filio tuo vere dici potest illud in 2. ad Tim. 4. Bonum cetta-
men certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Hac fide
salvifica vicit peccatum & mortem, & adeptus est veram vi-
tam, ut dicitur Apoc. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & da-
bo tibi coronam vitæ. Atque alias dici solet: Qui bene vixit,
benè moritur.

Sed quorsum hæc? An ut tibi Clarissime Vir refricem
vulnus animi tui, atque ea in memoriam ita redigendo luctum
augeam? Minime verò, cum ea ipsa T. D. adimere potius
ægritudinem nimiam, atque efficacem consolationem præbe-
re debeant, atque eiusmodi recitatio nos ad similem pietatem
& fidem morituros aliquando exuscitare, atque desiderium
in nobis migrationis ex hac vita ad æternam cum Christo
consuetudinem in mentibus nostris commovere possit. Quid
enim parenti in hac terra obtingere potest gratius & acce-
ptius, quam si cognitum habeat suos non saltem pie vixisse sed
& obiisse,

& obiisse si oculis suis videat in agone mortis suos non diu
torqueri, sed placidè ac bea è morte quod omne est divinæ fe-
licitatis, si certò sciat suos finitis semel malis & ærumnis om-
nibus in tutissimum portum sempiternæ quietis pervenisse:
suos esse filios Dei, ac perfrui summo illo bono quod est in
cælo & terrâ, quo nihil preciosius nec præstantius, statuitur,
videlicet vita æterna. Quis quæso nostrum tam tranquillum
vitæ finem non ardenter sitiret? quem si effemus consecuti, an
non ipsos nos omni ex parte felices ac beatos esse censere-
mus: ut & scriptura sacra eos pronunciat Apoc. 14. & in
Pl. 116. & D. Augustinus ait: Sic quicumq; moritur & cupit
dissolvi, & esse cum Christo non patienter moritur, sed pa-
tienter vivit & delectabiliter moritur. Quin potius ipsi vi-
dentes & audientes ita delectabiliter mori permultos, excite-
mus etiam in nobis sanctum desiderium deponendi *σκίωμα*
nostrum, quando unq; D E O visum fuerit vel ipse jusserit
atq; flagremus cupiditate excedendi cum gaudio ex hac stati-
one æternæ salutis spe confirmati, ex hoc mundo perverso
in gloriosam illam patriam, atq; cum Balaâmò dicamus: Mo-
riatur anima mea morte justorum & fiant novissima mea ho-
rum similia. Ego sanè singulis diebus nihil magis in votis ha-
beo, quàm ut Deus clementiss. adeò placidam & beatam *ἔξου*
καὶ ἀλάστον juxta propitiam suam voluntatem, confecto vi-
tæ curriculo destinato, mihi quoq; in verâ agnitione & con-
fessione Christi, in veram patriam, ac deniq; gloriosam res-
urrectionem, & beatitatem cum tota Ecclesia celesti clemens-
ter largiri dignetur sempiternam. Minimè igitur lacrymas
excutere debet, quod Filius vester, alio in loco cum tutior po-
tuisse viveret & exacto quidem iam lenæ, spacio menstruo,
in patriam (vobiscum, pro seq; in vos suâ propè incredibili
consalutaturus, & in summo horribiliter sævientis pestis pe-
riculo, animo devoto dictâ acceptaq; salutes totam secum
supellectilem. Halâ, & ex Academia Lipsi. in Salaniam transla-
turu) reversus, ac lethifero morbo correptus atq; improvi-
sa morte oppressus in conspectu vestro, adeoq; complexibus ve-
stris (Te nempe patre sinistra tua, caput Filij dulcissimi Chri-
stophori, fulciente, & dextra oculos morientis, quos Christus
E Resuscitator

Resuscitator in extremo d' e gloriosè. aperiet. premente) reli-
giose mortuus fuerit: verùm potius abstergere debet eas o-
mnes tam placida tam pia, tam exoptata Filii vestri beatissi-
mi migratio. Quin hoc fatis decretum fuit ut in patriâ ita
moreretur. Qua appellatione significatum volumus, non
fatum Stoicum, sed voluntatem sempiterni Dei immotam,
pro sapientissimo suo consilio omnia disponentis, & ad pio-
rum in Ecclesia salutem dirigentis. Quod ipsum etiam intelli-
gens beatus vester Filius mortem futuram, veluti prælagiens.
[ut falsus post modò fuit] ultro ad vos transiit: vobisq; con-
stanter & rectè [postquam vi morbi prævalescentis animad-
versa, ostendistis, optare vos loco tutiore jam eum esse, per-
mansisseque lenæ] respondit: Annè putatis, parentes mei dul-
cissimi, hæc quæ fiunt, Deo non sic annuente & omnia con-
stituente fieri. & siquidem moriendum est, malo ingremio &
complexu vestro optatissimo mori, quam alibi, ubi hoc præ-
fertim tempore misere deseruntur destituti omni ope & con-
silio, qui cum morbis conflictantur. Quemadmodum autem
D E V S unicuiq; hominum tempus & horam moriendi
constituit: ita etiam locum & modum definit. Ac veluti tem-
pus illud in certum est: ita etiam morbi genus & modus, ut
Ecclesiastes Salomon ait: Nescit homo suum finem, sed sicut
piscis capiuntur hamo, & aves laqueo, comprehenduntur:
sic capiuntur homines in tempore malo. Notū est altoquin il-
lud: Durum est extrâ patriam mori: si modò hæc patria est
nominanda, cum vera sit in celo, ubi jam reverâ est vester
Christophorus domi apud Dominum 2. Cor. 5, Quam multi
parentes magno beneficio sese affectos putâssent, si vidissent su-
os in præsentia sua piè expirare, ut certi esse possent de beato
discessu eorum: tum si potuissent suorum decumbentium ac
morbis laborantium curam agere & remedia adhibere, vel
piè defunctos honeste sepulturâ afficere, verùm illis datum
non fuit. Quot liberi tristi mortis genere vel horrendis modis
interierunt? quod miseros parentes admodum excruciauit.

Proinde ingens hoc doloris levamen esse debebat, quòd
Filium vestrum sine ullo alio incommodo, sine ullis cruciati-
bus adhibita debita cura & præstitis omnibus officijs etiam
ultimo

Cap. 9.

ultimo videlicet claudendo oculos eius à Filio Dei recluden-
dos, Domino, qui dederat vobis, reddideritis: ac initia & lu-
cem vitæ æternæ in Deo acquiescentis in huius vestri Chri-
stophori pectore accensam videritis & ardens desiderium mi-
grationis ad Christum, & voces plenas Spiritu sancto ac mi-
nimè dubias de spe futuræ resurrectionis certissima ex ipsius
ore iterum atq; iterum audieritis, atq; etiã preces devotas iunxe-
ritis pro ipsius salute, corpus sexanime terræ mandari curave-
ritis, animã verò eius in sinum Abrhæ deportatã esse ac spiritum
eius de manibus vestris in manum Christi victoria & fide præstã-
tem, cui etiam comendatam iam iam moriturus, traditum esse cer-
to sciatis. Nihil autem est Clarissime Vir, Dn. Rector, quod
dicas de cursu vitæ Filii tui infuturum in his terris tenendo,
quod potuisset peregrinas regiones peragrarè, annum Iubilæ-
um brevi à Pontifice celebrandum Romæ spectare, ad supe-
riores honorum & dignitatum gradus pervenire: An non Fi-
lius tuus peragravit iam sedes summas? an non versatur iam in
Paradiso ac amoenis regione viverum, in quã laborum om-
nium finis ac victoriæ consummatio? An non vivit in Re-
gno Christi, cum aliis beatis adiens celestem omnium bono-
rum, filij Dei merito partorum, hereditatem? Quid cum de-
licis & pompis huius mundi ac pontificum vanitatibus va-
nitatum? Annum nunc verè Iubilæum agit cum Ecclesia tri-
umphante in celo, qui æternam liberationem à servitute
peccati & mortis adumbrat Lev. 25. cum iubilo ac plausu,
atq; canit canticum novum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Domi-
nus, colens & celebrans summum Pontificem nostrum De-
minum Christum.

Quid quod etiam Filius Tuus ad summos honorum &
dignitatum gradus evectus ascendit? Certè fruitur iam con-
spectu Dei vel totius sacro sanctæ Trinitatis: Profectò adsci-
tus in sanctorum Angelorum consortium: Reverà in concili-
um sanctis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum &
Orthodoxorum Doctorum, pientis Imperatorum, Regum,
Principum & Christianorum beatorum vocatus & adductus,
cum Christo est, & regnat, ornatus immensa sapientia, iusti-
tia divina, luce ineffabili, & lætitia incessabili perfusus: nec

non corona immarcescibili, in corruptibilis gloriæ est corona. Nonne igitur quod rursus dico, potius te patrem, letari quam lamentari oportet, ac gratulari tuo Filio de summis verorum honorum & dignitatum ac bonorum gradibus & eminentiis? de tanto læticiæ ac gloriæ cumulo, quam vel minimè tristitiæ vel invidiæ alicuius speciem præ referre.

Hæc omnibus ita probè ad perpendiculum rectissimi tui iudicij revocatis Clariss. Vir Dn. Rector, omnino arbitrator, quod facillè animum à luctu avocare, atq; modum statuere lamentationibus & querelis possis. Neq; etiam video, quid eiusmodi sollicitudinibus, angoribus & mœroribus sese conficiendo quis proficiat: cum alioquin ea omnia hoc tempore periculoso vel maximè sint noxia & mortem citius accelerent, atq; mœror, secundum Ciceronem etiam vitam enervet, hominemq; languidiorem efficiat, & tristitia noceat cordi Prov. 15. imo multos, teste scriptura, occiderit, nec utilitas sit in ea Eccles. 30. Noli igitur committere, ut ingravescentem tuam ætatem, eamq; catenatis laboribus alioquin fractam, atq; indies plus infirmitatis contrahentem, nimis indulgendo dolori gravius offendas atq; malum addas malo. Quin etiam planè sunt irritæ istæ querimonix, cum illud mutari nequeat, & luctu invitam hanc revocari nemo possit. Insuper detis hoc beatis Filii vestri Manibus, cui eadem omnino etiam sunt ingrata, quiq; minimè dolores & cruciatus vestros sibi requirit, ut cuius melior est reddita fortuna, mortalium molestiis cum superum vita beata commutatis: ne videamini invidere Nato vestro feliciss. & beatiss. illum statum. Deniq; celeberrime vir noli oblivisci, Te esse Cæsarem & Rectorem scholæ, qui eiusmodi profiteri consueverit aliisq; præcipere, & viva atq; efficaciam solatia præbere, eat tibi ad mentem revoca, neq; committe, ut illud Tibi obijciatur: *ὄλωσιν ἰατρὸς αὐτὸς ἔλκεισιν ἑρῶν* aut temporis expectare medicinam videaris in iis, quibus Ratione seu animi magnitudine & oratione, hoc est verbo Dei, seu sapientia divina & humana erat, occurrendum.

Postremò non tam omnes curas et cogitationes in Filium tuum piè defunctum conferas, quam in Christum abijcias

cias qui tuas lacrymas ab oculis abstersurus, tuamq; in terris infelicitatem & aduersitatem in latitiam & beatitudinem sempiternam in celis est conversurus, atq; sustentens te potius spe certa futurae resurrectionis & conventus in extremo die, quando vocabit omnipotens Deus omnes qui dormiunt, tunc non solum hunc tuum Christophorum, sed & omnes uos os videbis & in tuo illos complexu, recipies & retinebis in omnem aeternitatem, ita ut nunquam separari queatis in sempiterno imperferutabili gaudio, quod longè maius erit & praestantius, quam dolor iste & dispendium temporale.

Cum igitur carissimus Vester Filius M. Christophorus p. m. iuxta constitutum vitae terminum, qui mutari nequit ex consilio & voluntate Dei, in ipso flore defloruerit, vita tamen pie & laudabiliter transacta, omnibusq; malis huius mundi ereptus transierit ex hac miseriarum & lacrymarum valle in veram patriam, atq; ita cupide et religiose in Christo sit defunctus, ac nunc in christo & cum Christo vivat ac regnet gloriosè, simulq; in celesti Academia choro angelorum & beatorum ad scriptus conspectu Dei & conuetudine omnium electorum fruatur: in dolore & mœrore vos ut Christianos modum adhibere, & in providentiæ divinæ arbitrio & decreto acquiescere decet, ne videamini vel maiestati diuinæ quæ nobis omnibus, non semper quidem iucunda, attamen utilia, si non in hac, in altera certè vita salutaria impertitur, refragari, vel supra decorum lugendo invidere animæ Filii nunc verè beati prosperitatem hanc felicissimam & omnibus votis expectandi status perpetuo duraturam: quem non amisisti, sed praemistis in celeste illud regnum, ad quod suspiramus, & tendimus universi & singuli, licet diverso tempore, at brevi intervallo: donec & ipsi, Deo ita disponente, erga stula solventes aliquando traducamur in regni illius sedes beatas, ubi Dei & celestium spirituum ac beatorum, omniumq; eorum quos praemisimus vel qui nos secuturi sunt, consortio perfruamur in perpetuum.

Sed satis τῶν γλαυκῶν ἴσθαι ἀδύνατον, qui ad Te hæc. Verum λόγῳ σιελύπτι σφόδρα μακρον. Ego sanè in eiusmodi lectionibus & cogitationibus hoc calamitioso & miseri tempore soleo maxima ex

ma ex parte versari, meq; contra varios ac subites casus sic
præmunire: quibus non mediocriter [mihî crede] sum con-
firmatus. Hoc si idem tibi videtur, fac ante oculos tibi pro-
ponas & toto animo cogites: quamvis plura & ornatiora,
quæ in eam sententiam dici possunt, tibi nota esse & ab aliis
Clarissimis & summis viris diversis in Academiis; & locis aliis
celebrioribus, perscripta satis sciam. Vehementer autem à T.
D. etiam atq; etiam peto, ut pro humanitate atq; benevolen-
tiâ sua atq; animorum nostrorum conjunctione hoc quicquid
est scriptionis etiam liberioris [unde propter occupationes
alias & varias interpellationes advocatus sum sapius] in opti-
mam partem accipiat. Quoniam autem intelligo Clarissimum
Virum Dr. Rectorem omninò velle, tum aliorum doctissimo-
rum & celeberrimorum virorum diversis in locis *ἡγουδίας* ad
T. D. scriptas, tum hanc orationem, quamvis minus elegan-
tem & artificiosam, typis excudi, prolixius sanè sanctis mani-
bus Filii Tui beati, mihi à puero noti, & discipuli quondam
& amici postea mei charissimi, iusta q. persolvere volui, ac
monumentum simul mei erga Te ad huc vivum, & Filium tu-
um, nunc quidem p̄ ac placide demortuum amoris ac mutua
affectionis extare. Dandum etiam omninò hoc fuisse mihi vi-
detur & memoriæ Filii Tui, ob singulares eius dotes & ma-
sculam virtutem ac doctrinam, nunc *ἡγουδίας*, ultimæ cele-
brandæ, ac conservandæ & dolori cum tuo tum meo, tum ali-
orum quoq; amicorum, hoc tempore contagiosi morbi adhuc
grassantis, vel alias ob obitum suorum graviter afflictorum
loco consolationis qua se sustentent, depellendo vel leniendo.
Deum Clementissimum oro, ut propter Filium suum *μὲν οὐκ ἔστιν*
ἡγουδίας in hac periculosissima mundi tempestate, ac
tristissimo omnium rerum statu, & omnibus moestissimis, lu-
ctuosisq; hominibus, & Tibi & Tuis in hac calamitate
domestica Spiritu Sancto adesse, atq; efficacissima afflictis,
cordibus solatia suggerere, atq; Te diutissimè florentem &
incolumem Tuis & scholæ nostræ & amicis conservare: no-
bisq; omnibus fatali hora moriendi adveniente beatum &
placidum ex hoc mundo immundo exitum & transitum in
celestia gaudia, atq; lætam & gloriosam in novissimo die
resurre-

resurrectionem largiri velit, ut eum sanctis Angelis & omni- In fine libr.
bus beatis, Te unum & trinum Deum qui finis erit desiderio- August. de
rum nostrorum & omnia in omnibus, sine fine videamus. ciu. Dei.
sine fastidio amemus, & sine fatigatione celebremus. Amen.
Scriptit. Mense Octobri Anno Salutis humanæ. 1598.

M. Nicolaus Gerlachius Hal. Scholæ
patriæ Collega φιλίας καὶ
συμπαθείας ἕνεκα.



Epicedion

In memoriam Ornatissimi & doctissimi Iuvenis

Dn. M. Christophori Cæsaris Iunioris,

Ἰὺς ἐν ἄγῳις & c.

Ergò nihil sævum Fati placare furorem,
Pellere nec pestis dira venena potest?
Nil succi, Antidotiꝫ valent herbaꝫ potentes?
Nil prodest oleum, nil Panacea iuvat?
Nullane vel Parcas tangit misera iio nostræ
Sortis, nil istas vota precesꝫ movent?
Anne nihil va' et his Adami antina flectere corda,
Quæ sine more furunt, quæ sine fine fremunt?
Quæ nil doctrinam, vel opes vel stemmata curant,
Nobile Virtutum despiciuntꝫ decus.
Nam si vel pietas has religiosa moveret,
Vel vernans ætas, ingenijꝫ vigor;
Si qua moveret eas Virtus, Prudentia, honorum
Gloria canit fides, Pallas Apollo, Themis?
Non subito abrepti lethali morte fuissent
Tot vegeti iuvenes, tot celebresꝫ viri.
Quam cladem primum passa est Ecclesia nostra,
Hammerum quoniam Parca maligna tulit.

Curia



Curia REDD ELIO spoliata est Consule; nostra
Collegâ orbata est, discipulisq; schola.
Ullacrimant Halopegasides, duplicantq; querelas,
Dum repetit proceres urbs vidua tuos.
Quin etiam truculentâ Tuum Tibi CÆSAR ademit
Gnatum, non ulli parcere Parca sciens.
Quid vi tuos memorem aut viduas, Natô, ve, Patrësve ?
Quid memorem matres, virgineumq; chorum ?
Hinc nunc in patriâ facies tristissima rerum,
Hinc mæror, questus, lactifonusq; dolor.
Tristia largifluis mea squalent imbribus ora,
Et meritò mæstos dant resoluta modos.
Sed nil efficiunt tot inania somnia voti,
Nil querulæ voces, nil lacrymæq; valent.
Est commune malum, quo nos affligit Iova,
Haud causâ absq; gravi, nec sine consilio.
Scilicet has ultrò meruerunt crimina plagas,
Et Martem, & Mortem pestiferamq; luens.
Ergò nos iram Domini & contagia culpæ
Noscere, contra illum nec fremuisse decet :
Sed tristem hanc sortem patienti pectore ferre ;
Orantes summum, quem tremit æthra, DEVM.
Ceu cepit, meritam lenire hanc crimine, pœnam,
Sic pellit clemens ut graviora mala ;
Et nobis adsit rebus solator in arctis,
Vincamus stabili tristia fata fide.
Spe freti hâc, restare aliam post funera vitam,
Post mala cunctas; bona & præmia in arce poli.
Nos ubi nec cura nec sæva pericla fatigant,
Verùm perpetua gaudia pace vigent.
Hæc simul expendas Clarissime Rector, ut ipsum
CHRISTOPHORVM, abripuit mors inopina Tuum.
Qui tua spes, matrisq; decus, baculusq; senectæ,
Solamen, columnen ; pars animæq; fuit.
Quem nil doctrina, ingenium, nec cursus honorum
Iuvit, nil verus cum probitate pudor.

Occidit

Occidit ab viridis primo sub flore iuventa,
 Vivere qui longo tempore dignus erat.
 Scilicet hæc vite fors est, sic vivimus usu,
 Mancipio nulli vita caduca datur.
 Qui flores hodie, cum crastina fulserit hora,
 Fortè repetinà morte solutus obit.
 Sed moderante Deo fiunt hæc omnia, quodq̃
 Dilectum Natum mors odiosa tulit.
 Sic visum Domino, penes est quem cuncta potestas,
 Sunt sita in arbitrio Vitaq̃, Morsq̃, Dei.
 Vivimus aut morimur, Domini sumus : illius omne
 Quod stat, quòdve cadit, statq̃, caditq̃, manu.
 Ille creat nos, & redimit nos sanguine **CHRISTI**,
 Nos fovet & Flatu, & nos vocat inde **DEVS**.
 Cum Iob dicas : **DOMINVS** dedit, abstulit idem :
 Vt **DOMINO** placuit, cuncta ita disposuit.
 Mensium apud Dominum numerus finitus, eosdem
 Transiit haud qui, quam : Stat sua cuiq̃, dies.
 Insuper in toto est labor & dolor orbe pereunus :
 Felices, quos iam se vocat ipse **DEVS** :
 Ne videant mala, nobis impendentia : mundus
 Neve caro, aut Satanas in scelus hosve trahat.
 Nec numero annorum, at virtutum est laude senectas
 Mensuranda, horum mors celebrisq̃, manet.
 Qui vixit benè, sat vixit, quicumq̃, beatè
 In **CHRISTO** moritur, vivit ovatq̃, polo.
 Postquam igitur tuus & Casar almissime, Natus
 Complexit vite tempora parva sua :
 Sat mundo immunda vixit, sat honoribus auctus.
 Iam viret in superà vivida planta Scholà.
 Scilicet hoc moeste præstet solatia menti,
 Mortua quòd soboles sit benè, sitq̃, piè.
 Divinum hoc munus, cum non sine crimine vivat,
 Vllus homo, at siene sit necis ipse reus :
 Sed **CHRISTVS** Satane est deceptor, mortis & Orcis :
CHRISTVS spes nostra est, portio, vita, salus,
 F Hunt

Rom. 14

Iob. 1.

Id. ca. 14.

Psal. 90.

Sap. 4

Hunc gestavit in hac & vitâ, & mortis agone.

CHRISTVM Christophorus pectore & ore Tuus.

Exclamans: Tandem cupio dissolvier, esse

Cum CHRISTO q̄ meo, vivere cumq̄ DEO.

Reddidit huic animam CHRISTO, eius morte redemptam,

Et verâ imbutam cognitione DEI.

CHRISTI nunc fruitur conspectu, CHRISTVS IESVS

CHRISTOPHORI est factus portio, Resq̄ Tui,

Eternâq̄ capit cum sanctis gaudia vitæ,

Cum CHRISTO regnans vivit in arce poli.

Ergo Parens parcas lacrymis, nec sidera raptò

Invidias, quæ non invidet ipse DEVS.

Et quia sic CHRISTO placuit, sic prompta voluntas

CHRISTOPHORI voluit: Quid Pater ergo doles?

Sic nostro bene CHRISTOPHORO, quem mille periculis

Ereptum celi CHRISTVS ad astra tulit,

Prævius est missus, quâ nos venientibus annis

Hinc præfinito tempore fata vocant.

Vna dies veniet, quæ Vos conjunget orantes,

Nos jungetq̄ omnes, ultima nempè dies.

In CHRISTO moriens, cum CHRISTO regnat IESVS,

Cum cætu viri: Christiadum inq̄ polo.

M. Nicolaus Gerlach Hall. Scholæ patriæ

Collega, amoris & humanitatis ergo F.

A L I V D.

Ἦσπερ ἐν εἰαρινῇ σκοπιᾷ ῥομου ὄμμασιν ἄρη

φύλλα μαρμαίνοσιν αἱματοῦντα ῥοδῶν:

ὄντως ὄδερ' ἐπιχθόν' ἐν ἀνδράσιρ' ἐσὶ βεβαίον,

τέσμα βίῃ μερόπων γένιο μικροχρόνιον.

Τὸ Χριστοφορὸς, τὸν μήτηρ καίσαρ' ἵκτε,

Δηλοῖ, ἀλεξικακῶ τούτομα χριστῶν ἔχων.

Πάσμε ὅς τεχνῆσι κεκασμένος, ἦδ' ὅς ἄριστος,

εἶνεχ' εὐνᾶρε τῶν πᾶσι θεοτοῖσι φίλος.

κάλως ἀπειρέσιον, καὶ κῦδος πατρίδος αἴνε,

ἦδ' ἑλπίε, με γάλη ἔσκε γονῆος ἔδ.

Ἡσκαγε

ἦς παγε τοῖδ' ἴσθ'· φεῦ ἡμῶν, μοῖρα κραταίη,
 ἔννεα μισάων ἐξ ἀπόλωλε κλέος.
 τοῖνεκα θυγατέριε μεγάλη Διδεῖ ἀχθυμένα κῆρ,
 ἔνκικλων βλεφάρων δ' ἄκρυ χέσσι τέρερ.
 καὶ ἅμα γρηόσκων ὁ πατὴρ νύκτας τε κούημάς,
 κλαίει, ὀδυρόμενος τέκν' ἐοῖτο μέρορ.
 ἄλλὰ τοῖδ' ἐσὶ δέλημα θεῶν καὶ βελή ἀμείνων,
 ἦν μηδὲς μερόπων ἐκφυγέει δύναιται.
 χρυσοφόρον μὲν ἀπώλετο σῶμα, καὶ ἐν χθονὶ κείται,
 τύχη δ' ἄκρεστέρ δ' ἄμα βέβηκε δεῖ.
 ἦ δὲ σὺν Ἀδανάτοισιν ἐπ' ἑραίνης χάριμ' ἀρχῆς
 ἔλλαβ' ἐνὶ χρυσοῦ τέρψιν' ἔχουσα μάκας.
 λῆγ' ἐν λῆγε γούου καὶ κλαυθμῶ δ' ἀκρυόεντος,
 εὐχεο καὶ ὑπὸ ὄλβια πάντα, πατέρ.
 καιρὸς ἀνασάσειε τάχ' ἐλέυσσται ἀγελοῦ δ' ἔδε,
 Δῶσθ' ἐν ὧγε τιν' τέκν' ἃ ἀφίλε, θεός.

Wolfgang Gerlach, Hall,
 Schole pat. alumnus.




De vita æterna Mantuani

Epigramma:

Est requies illic, illic æterna voluptas,
 Perpetuus splendor, gaudia, risus, amor.
 Quotquot erunt, sanctos, & quot nos ante fuere,
 Accipient læto magna Theatra sinu.
 Fas erit hic nostræ vultus agnoscere gentis,
 Atq; dare alternis mutua verba sonis.
 Hic cum fratre soror, nati cum Patribus ibunt:
 Vespera nec festos finiet ulla dies.

Handwritten text in a Gothic script, likely a list or index of contents, arranged in several columns. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.

Handwritten text, possibly a title or a specific entry, located below the main block of text.



De vita eterna Manuali

Epigramma

Epigramma
In spiritu illic, illic eterna voluptas
Pecunia sicut dicitur, gaudet illa amor
Quotquot erunt sancto, quod nos ante iudic
Accidit illi, et magna Theatra sua
Paucis hic notis vultus agnoscere gentis
Ad danc est, et in manu verba loquit
Hic enim factus est, nam omnes pariter iudic
Vixit et necesse est, nihil illi...



153456

ULB Halle 3
002 677 407



VD 77




vicinis. Sanctus sanctus

Qommunicantes et noctem ut dicitur
sacratissimam celebrantes. qua bea-
te intemerata virginitas. huius mundi
salvatore. Sed et memoriam venerante-
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et
torum apostolorum tuorum

Qommunicantes. et diem sacratissimum celebra-
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. coeli-
tus in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter
apparuit. Sed et memoriam

Qommunicantes et diem sacratissimum celebra-
tes. quo dominus noster ihesu christe pro nobis est
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem



//.

ΠΑΡΑΜΥΘΙΑ

A D

*Clarissimum Virum, erudite doctrine & Virtutum
laude praestantissimum,*

**D N. M. C H R I
S T O P H O R V M C A E S A
R E M, S C H O L A E H A L E N S I S R E
c t o r e m, D n. C o l l e g a m s u u m o f
f i c i o s è c o l e n d u m,**

*Lugentem graviter praematurum obitum
Filij sui optatis. & carissimi maioris natu, τὸ ὄμιλον.*

**I V V E N I S I N G E N I O, V I R T V T E
& eruditione excellentis, liberal. art: & phi
losophiæ Magistri, ac S. L. L. Studiosi.**

*ANNO χηλογονίας M. D. XCVIII, die III. Mensis Octobris
circa XI meridiana piè placidè ac cupidè in CHRISTO defuncti,*

*Cum vixisset in his terris Annos XIX, Menses V,
Dies XXI. Horas XII.*

**C O N T I N E N S P R A E C I P V O S F O N T E S C O N
solationum, quibus pij homines hec potissimum periculo
so & calamitoso tempore, vel aliàs in obitu suo
orum uti, ac se sustentare possunt.**

Solutâ & ligatâ oratione

S C R I P T A

à

M. Nicolao Gerlach Hal. Scholæ patriæ Collegâ,

Typis Pauli Cramerii,